POEMATA SUCCISIVA. R. P. CLAUDII LION OATORII DOM. IESU...

Claude Lion



POEMATA SUCCISIVA

R. P. CLAUDII LION *Oratorii Dom. IESU Presbyteri.*





MASSILIÆ,

Apud *IOANNEM & PETRUM PENOT*,
Typographos & Bibliopolas.

M. DC. LXXXX.

CUM PERMISSU.



CLARISSIMO VIRO D. D.

FRANCISCO LION

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORI

SVCCISIVA POEMATA

D. D. D.

Frater Obſequentiſſimus.




OFFERO ſudatos olim ſub monte labores
Aonio, juvenis placidum quem ſæpe ſolebam
Scandere Caſtalii potatus fluminis unda.
Vmbroſas inter ſalices, lauroſque jocoſas
Arridens Phœbus verbis annectere verba
Me docuit, facilique metro componere verſus,



Quos modò collectos voveo, charissime Frater;
Pignus amicitiæ totis durabile sæclis.
At natura licet dei inxerit intima nexu
me tibi, sinceri conjunxit nexus amoris
Fortior, & firmo sociavit fœdere corda.
Dum te sollicitum rigidi prudentia juris
Occupat, æquali aut rectam cum pondere lancem,
Iustitiæ libras observantissimus æqui,
Cuique suum tribuens discusso examine rerum;
Aut te Patronum nimis importuna clientum
Obsidet, invitans lites compescere turba;
Aut te defessum curis Astræa fatigat,
Laxa animum nostræ veniens ad barbita Musæ.
Delius occurrens comi sermone locutus
Excipiet, blandè merito dignatus honore
Gaudebit, Pindi ad saltus deducet amœnos,
Nobilibus palmis & odoro flore comabit,
Fontibus accumbens Permessi hilarescere disces.
Lætatus, Themidos redies jucundior aulam,
Servator legum, studiosus juris amator,
Pauperis auxilium, miseri inviolabile robur,
Iustitiæque tenax, divino numine plenus
Virtutum cultor, virtutum jura tuere.
Non te magnatum metuenda potentia, Frater,
Terreat, haud faveas neglecto paupere diti;
Æquata sed lege miser cum divite causam
Defendisse suam, lætus tibi plaudere rostris
Gestiat & medio grates egisse senatu.
Est merces fecisse bonum, sibi præmia virtus,
Non aliena petas, virtutis gloria, virtus,

Quæ contenta sui, proprio splendescit honore;
Nec mendicatam quærit sibi conscia laudem.
Haud favor, haud munus, nullis & gratia votis,
Haud amor haud odium recto de tramite legum
Deflectant, cogantque decus corrumpere juris;
Integer haud precibus, lachrymis haud flectere fusis.
Cœlestis pietas fidei sociata tenaci
Omne tuum confirmet opus, jurisque peritus
Fallaces deterge dolos, errare paratum
Corrige & innocuo numquam patiaris iniquum
Insultare viro, vitium virtute repelle.
Ergo age continuos felix Astræa labores
Approbet, una tibi justos arrisa secundet
Semper, & infracto rectum defende tenore,

Massiliæ Kalend. Iulii. 1690.



AMICIS.

V*ESTRIS obtempero desideriis, dum varia olim typis mandata seorsum & separatè mea Poëmata, in unum nunc corpus redigo. Amplioris quidem esset voluminis si quæ fuere sub-repta, aut omnia quæ neglecta nequivi recuperare reperissem. Quæ ergo in meo inveni scrinio qualiacumque illa sint, ea mente accipite quâ vobis offero; sunt enim quasi quædam Analecta quæ mihi ex pluribus aliis superfuere carminibus. Amicè accepta arridebunt, & si vilescat Poësis*, nec bene conjunctæ coeant in carmina voces, *civili vestra fient acceptione politiora, & sonora vocis gravitate facietis* Carminis in socios properare vocabula nexus. *Valete & favete.*



EXCELLENTISSIMO POTENTISSIMOQ;

PRINCIPI DVCI DE LONGVEVILLE NEVSTRIÆ PROREGI, DEPPÆ SVÆ REDDITO.

1651.

SÆVIENTIBVS in Gallia bellis civilibus apud arcem portus gratiæ, Dux de Longueville *detinetur sed paulo post egressus dum Neustriam cujus erat Pro-Rex perlustrat, in Collegio Deppensi, carmine isto gratulatorio salutatur.*

EPOS.

ELVCTATA metus, conjuratosque tumultus
Deppa suos, vanæ ridet formidinis iras
Auspiciis *HENRICE* tuis secura, nec unquam
Gratior ingenuos ausa est attollere vultus
Adventu lætata tuo, fatique solutis
Legibus adversi, rursum licet ora tueri
Exoptata diu, lachrymis & reddita votis.
Pristina sollicitas miscebant murmura gentes,
Per dubios casus sors indignata trahebat,
Anxia & armato populos fortuna timore

Quassabat, flammata minis Bellona flagellum
Intentans, cives violenta in jurgia traxit.
Nunc tamen horrendæ minitantia fulgura sortis
Dissipat *HENRICI* reducis præsentia nostri.
Phœbus ut ætherea conceptos nube vapores
Dissolvit, tenebrosa poli convexa serenans.
Si juvat antiqui causas revocare doloris
Carmine, & exhaustos fato turbante labores
Audire; immensis afflictam casibus urbem
Cernere, laudabis populi Deppensis amorem.
Gallia continuos vix, conquassata furores
Deposuit, commota premens suspiria planctu;
Attollens animos cœlis se læta ferebat,
LVDOICO fœcunda parans insignia lauri,
Atque renascentes devicto ex hoste triumphos.
Lilia surgebant felici vertice, toto
Gallorum imperio, miti concordia plebem
Fœdere jungebat. Regni Mars exul ab oris
Tranquillæ titulo pacis gaudebat amico.
Tuque potens *HENRICE* tuis virtutibus orbem
Franciadum illustrans faustis clarissimus armis
Regia servabas laudum monumenta priorum,
Augebasque tuæ, tamen ausibus invida justis
Rumores falso spargit fortuna susurro
Nescio quos; virtusque facit laudata nocentem
HENRICVM, scelus est dotes virtutis amasse:
Debueras leviore decus defendere plausu
Gallorum, minimo, sic exultantia laudum
Dona recepisses, majoraque nomina fastis.
Est virtus ingrata tibi tua, *Maxime Princeps.*

Cura

Cum ſit honorando nimium fulgore coruſca;
Præmia digna ſuis non invenit ampla triumphis;
Omne decus ſuperat; cæleſti digna favore:
Sed differt non ipſa negat, dabit ubere fœtu
Quos animus pietas nomenque merentur honores.
Interea mendax confiɛto crimine livor
(Proh ſuperûm violata fides) conatur avitos
Aureliæ gentis recto, fœdare penates;
Eſt auſus ſublime nefas crimenque ſuperbum
Dum te ſublatum potuit, cuſtode morari
Inter clauſtra Ducem noſtriſque avellere terris.
Heu quantis afflicta malis tunc tota gemebat
Gallia! præcipiti ferro in ſua mœſta ruebat
Viſcera, cognatis agitata furebat in armis;
HENRICI-que ſui quatitur Nortmannia fatis.
Sors tecum Deppæa jacet, comes eſſe malorum
Novit, & *HENRICI* rebus gaudere ſecundis
Iam didicit tua Deppa pares experta labores.
Non tamen infelix caſu fortuna repenti
Deprimit ingentes animos, ſed fata probarunt
An poſſis adverſa pati diſcrimina ſortis.
Spernis tale nefas & inania crimina rides,
Et qualis ſis noſſe datur, mens conſcia recti
Fortunam virtute domat, conſtantia caſum
Vincit & antiquas extollit gloria lauros
Oppugnata diu, mala, vel felicia ſemper
Admiranda tibi ſortis ſunt tela novercæ:
Accreſcat cum major honos & præmia laudis
Accreſcant, livorque tuis virtutibus addat
Immortale decus, notoque invitus honori

Applaudat: premiturque premens, mœretque lacessens
Ignarus; tibi pandit iter per sæcula magnæ
Ad summum virtutis opus (*Clarissime Princeps*)
Constantique animo, dignum te stirpe probasti
Regia & Aureliam factis agnoscere gentem.
Te fecit natura Ducem, te propria Magnum
Virtus, ingenium, sed non fortuna triumphos
Cœpit & ex illo sibi conciliavit honores.
Dumque tumescentes fati, prudentia casus,
Magnanimæque tuæ spernit fiducia mentis
Invidiam, *HENRICI* tanto rumore fatiscit
Deppa, repentino nimium perterrita luctu
Obstupuit: depressa metu, fluitansque tremendo
Murmure languescit, cupidæque incerta salutis
Æstuat ancipiti motu, dubiisque procellis
Et vix fisa sibi, tantis stupefacta querelis
Tendit ad arma furens, armis protecta resumptis
Postulat *HENRICVM*, voto est *HENRICVS* in omni.
Impacata ruit; magnos virtutis in ausus
Excitat *HENRICI* gravis inclementia fati.
Fervet inexhausto semper bacchata tumultu
Præteritæ non Deppa tuûm virtutis avorum
Immemor, exoptatque tuo succumbere fato
Non oblita Ducem, simili que jacere periclo.
Iuratum tantis dum testabatur amorem
Motibus armorum tibi subdita Deppa, jubentis
Cogitur Imperio Regis deponere tela
Armatosque animos, motum & cedare furorem,

Torqueturque novo rursus tua Deppa dolore
Sollicitis percussa malis, agitataque mœstis
Quæstibus,& dubio rursus vexata timore:
Hinc Regis mandata jubent; hinc gloria Magni
Principis, ambiguo suspendit vota tumultu:
Detrectare nefas *LODOICI* jussa supremi
Nec licet *HENRICI* violarè potentis amorem
Promissamque fidem & promissæ fœdera pacis.
Cum tamen *HENRICVM*, *LODOICI* noscat in armis
Deppa suum, fortemque Ducis, felicia Regis
Iussa regant Rege *HENRICVM* veneratur in uno,
Et credit servare fidem, si regia servet
Imperia & magni *LODOICI* jussa sequatur.
Arma cadunt sed regnat amor, parere coacta
Deppa reluctantem posuit civilibus armis
Depositis animum, conceptos mente dolores
Dissimulans, cohibentque tuæ data gaudia sortes,
At virtus oppressa nitet, pugnataque telis
Invidiæ, radios fundens augustior exit,
Et laudis contenta suæ, propriisque triumphis
Emicat, externos non exigit illa favores,
Nec plausus hominum, nativâ luce coruscat
Regi nota suo, nec toti incognita regno
Assurgens meritæ retulit præconia laudis.
Te livor potuit fati ludentis iniquus
Exercere diu, sed nunquam infringere vires
Indomitas animi, præclarum est sorte probari
Adversâ & tumido rerum splendescere casu.
Imperat augusto cujus sub numine regnum

Flectitur & justo tractat moderamine Gallos
LUDOICUS longis populorum reddere votis
HENRICUM notâ virtute & more probato.
Quam lætum tunc murmur inest quam læta movetur
Neustria! præteritos reparant præsentia luctus
Gaudia, jucundoque animi terrore feruntur
Suspensi, tua Deppa stupens suspiria ponit.
Et placidos mirata sonos vibrabat ad axes,
Participes factura Deos, cœlique ministros
Lætitiæ: pleno diffundit pectore grates
Numinibus tendens superis mentemque manûque.
Circumstant populi, comitataque Deppa senatu
Ingreditur pia templa, novo perfudit honore,
Sacratosque lares, divûm-que altaria donis
Ditavit, tota est gratis in plausibus æqua.
Nocte serenata festivos excitat ignes,
Et flammis accrescit amor solemnibus ingens.
Hinc tectis sublata fugant funalia noctem;
Nox radiis decorata tui splendescit amoris,
Nec patitur tenebras meliori fulgida luce.
Assuetum cessavit opus, natusque parensque
Exultant, simili fundunt modulamina voce.
Assonat *HENRICUM* repetitis publica verbis
Vox Magnum & fortem, fortunatamque senectam
Optat Deppa tibi, seniumque æquale juventæ,
Et sis Nestoreis Princeps felicior annis.
Calliope nisi Musa suum præsaga Poëtam
Fallat, honorato melius splendore micabit
Neustria, perpetuâ florebit pace, trophœis

Fulgeſcens *HENRICE* tuis, devotaque palmas
Ornabit tua Deppa tibi; victricia læti
Cives tela colent animumque verebitur hoſtis,
Lugebitque vices; iterum te Rhenus ovantem
Excipiet victoque dabit de gurgite lauros:
Sentiet armatos hiſpana ſuperbia greſſus
Victoreſque tuos, renovatis Belgia pugnis
Fulmen adorabit dextræ, terrore fatiſcens,
Principis *HENRICI* gaudebit cedere ferro,
Talibus & cupiet fatis occumbere ſemper.
Franciacos trepidans ſpectabit liſa maniplos.
Regna triumphatos plorabunt Bœtica cives.
Biſtonio tandem major Mavorte domabis
Faſtoſa Eridani procul eructantia motus
Oſtia, & audacis præcludes vana Timavi
Littora, fulgureâ tringens ſub caſſide frontem
Gallica deduces intentatura ruinas
Caſtra Tagi populis tumidas habitantibus undas.
Inde rebellantum *LODOICO*, vota nocentum
Subiicies depreſſa tuo, inſuperabile regnum
Borbonidumque decus venerabitur ultima Thule
Tartareuſque ſinus: debebit Gallia palmas
Virtuti generoſa tuæ, pacataque mundi
Prælia, ſtant manibus victoris Gallica fata
AVRELII, Tellus monumenta videbit avorum
Factis priſca tuis, Duce te, majora ſub uno.
Attamen interea populos clementia, Deppæ
Fauſta reget, ſolitoque tibi ſociabis amore.
Hæc cecinit mihi Muſa cheli plaudente ſororum
Concilio, votiſque meis arriſit Apollo.

CANNATVS REDIVIVVS
SIVE
SANCTI CANNATI EPISCOPI MASSILIENSIS
CAPVT
SVB PRINCIPE ALTARI
Majoris Ecclesiæ inventum.

1653.

ILLVSTRISSIMO REVERENDISSIMOQVE D. D.
STEPHANO DE PVGET
MASSILIENSIVM EPISCOPO.

P*Rimario Majoris Ecclesiæ destructo Altari ad ampliorem locum erigendo, Fossores terram everentes loculum lapideum invenere hac inscriptione notatum* Caput Sancti Cannati Episcopi Massiliensis. *Quod è terra erutum & pompa triumphali per totam urbem deportatum in argentea capsula posteà decenter inclusum, magna populorum veneratione asservatur.*

CARMEN.

FOrtunata nimis pandat sua viscera tellus
Divitiis fœcunda novis, ditataque fœtu

Sacrato, reddat felici debita mundo
Munera, nec sterili patiatur inesse sepulchro.
Vivet adhuc post fata potens qui vivere, funus
Ante suum didicit sparsis virtutibus orbi.
Non potuit periisse caput quod tuta sub aris
Numina servabant, certa est custodia divûm.
Nec nocuit tellus, verita est sævire, nec ausa
indignum patrare nefas, grave pondus, amica
Lene facit, positumque suis veneratur in antris
Immortale caput magnumque ut numen adorat.
Miratur gaudetque hilari suspensa stupore,
In proprio gessisse sinu, quem chara per annos
Pontificem servasse sua voluisset in urbe
Phocais * æternos: sed postquam gaudia motu
Insolito exundant, reddit venerabile donum,
Participes factura suæ gratissima cives
Lætitiæ, renovans post plurima sæcula plausus
Præteritos, nobis tandem facit esse recentes.
O quantis opulenta bonis, ô fertile quantum
Producis gremio tellus generosa metallum
Non ingrata parens! laceret tua viscera avarus
Quæsiturus opes, perituraque munera pauper,
Scrutatusque sinus descendit ad ilia fossor
Fluxas sumet opes, irritamenta malorum:
Nec bona vera dabis, mala sed latitantia fulvo
Pondere & auratos præbebis terra dolores.
At modo scrutantes tua nos penetralia ditas
Nec mœres, sacros lætaris passa ligones,
Nos dites intrare sinus, pandisque libenter,


* *Massiliâ à Phocensibus graiis conditâ.*

Invitasque jubesque viros descendere ad antrum
Ostensura caput multo pretiosius auro.
Dona facis populo tempus mansura per omne
Delebit quæ nulla dies, quæ nulla tacebunt
Sæcula, quæ vario fient medicina dolori.
Scrutarî liceat tanta mercede recessus
Sæpe tuos, tali semper si divite censu
Fœcundos reddis non indignata labores.
Munere, terra, facis miracula multa sub uno,
Non unus ditatur homo, caput istud, amoris
Est factum commune bonum, communis in urbe
Gloria & assurgit voto *CANNATVS* in omni.
Massilia, audaces dudum lachrymata tumultus,
Motus passa graves, terræ gratare faventi
Quæ dat grande caput, fluitantis mobile frænum,
Recturum Patriæ, & veteri moderamine plebem.
Præteritos iterum non experiere furores:
Divisos junget felix concordia cives,
Hoc caput esse suum facient civilia membra,
Dispersas reparabit opes, firmabit ovile
CANNATVS, charamque sibi tutabitur urbem.
Et si Roma prius jactavit Templa tot annis,
Queîs caput invéntum capitolia nomina fecit
Nunc sileat, Templis dicant capitolia nostri.
Phocenses habuisse suis majora, reperto
Non capite humano, sed quod dilecta sub aris
Numina formarant, sacrato ut vertice sacrum
Sustineat pondus, divûmque altaria gestet:
Et velut alter Atlas divinum tutius axem,
*MAIORIS*que polos securo robore firmet.

Romanæ

Romanæ caput, omen erat mirabile plebis
Hanc fore victricem, formidatamque propinquis
Gentibus & totum missuram legibus orbem.
Hinc Templi divinus honos, hinc gloria crevit
Inclyta numinibus, conduntur plena trophæis
Mœnia, & auratis fulgent laquearia palmis.
CANNATI caput inventum, tibi, phocai, majus
Omen erit, pacemque tibi portendit ab urna.
Non invisa trahet charos in jurgia cives,
Formidata tuis nuper discordia terris.
Concita non populos miscebunt nubila belli;
Nam caput augustum veluti jubar exerit orbi
CANNATVS, tantos lachrymarum ut dissipet imbres.
Interea tu thura dabis, capitique verendo
Impones lauros, justosque litabis honores.
Munus adorabis magnum quod consecrat aris,
Numinibusque offert tellus, nova facta Sacerdos.
Agnosces cæleste caput cum numine plenum
Phocæa effundet divos in membra liquores.
Laudabis mirata diu, capitique recepto
Numen inesse potens dices, terrisque relictum
Immortale decus, majestatemque tonantis
Sub fortunata *CANNATI* fronte repertam.
Dum caput hoc sculpto clausum splendescet in auro,
Majestate sua tacitos spirabit amores;
Gentis erit secura salus, sic mutua reddet
Munera & uberius *CANNATVS* dona rependet:

Phocæam vivens servabit mortuus urbem
Pastor, oves rapido defendet ab ungue luporum
Dum capite erecto sancta vigilabit ab arce.
Desino mirari, *STEPHANE* Illustrissime Præsul,
Si post tot lapsos imis de sedibus annos
Surgat *CANNATVS*, cujus tu munia tractas;
Exeat è tumulis & deserat antra sepulchri,
Ambit se socium virtutibus addere præsul
Magne tuis, animos communi sorte ligare,
Phocæumque gregem simili defendere cura,
Exoptatque suæ describere imaginis umbras
Felici sub fronte tua, post funera factis
Vivet longa tuis, rediviva in morte resumet
Vitam miratus, meritoque inclusus in auro,
Composito melius Stephani radiabit in ore.
Vivet inops vitæ sanctoque in pectore vivens
Præsul Clare tuo, firmabit fœdera tecum
Atque ipso plenus fugies commercia terræ
Divinas amplexus opes, secretaque cœli
Communes sic præsul oves populumque docebis.
Agmina virtutes mirantur cælica Pastor,
Magne tuas, rectos Deus alto è vertice mores
Approbat: & celso noster *CANNATVS* ab axe
Admiraturus sacrum caput extulit aris.



Nobilissimo Generosissimoque Domino
CAROLO DE GLANDEVEZ
DE CVGES MASSILIENSI,
Sancti Ioannis Hierosolimitani Equiti Commendatori de Picherac de Turcis triumphanti
1662.

TVOS audivit Massilia triumphos, Eques generosissime, nec stupuit, fortia agere & dura ferre tuum esse novit & tuorum. Gratulatur de victoria, sed non miratur. Mirentur si sint qui te ignorent; non potest mirari. Quæ nunquam te nescivit. Te decertantem dum audit, jam tibi applaudit triumphanti; tui unius est animi pugnare & semper vincere: quot enim prælia tot tibi sunt traphæa; tuas recentes victorias, præteritis tuorum socias victoriis; tuas lauros majorum lauris annectis, & ne sis avorum degener, victrices demetis palmas, ut victricibus illorum adjunctæ palmis, una fiant omnium corona. Cum tamen noveris, minus decorum esse solis majorum laudibus commendari, tuis crescis meritis, & laboribus. Tibi illi præluxerunt, tu aliis. Nuper de Turcis proprio parta sanguine victoria, tuæ fortitudinis est argumentum, equestris ordinis gloria & omnium plausus. Hostes impugnas & superas, vix aggrederis & jam vincis. Augusta laudavit Melita facinora & sperat augustiora; sua inquam laudavit dum tua; illi enim triumphas dum tibi. Te victorem plaudens suscepit;

& quot de te triumphante verba protulit, tot tui fuerunt præconia triumphi. Patere, vir nobilissime, ut Musæ nostræ tantis plausibus suos immisceant, unum deprecatæ ne tarditas gratulandi officiat gratulationi.

EPINICIVM.


VIctorem te palma decet, tibi pontus ovanti
Fundit adoratas læto de gurgite lauros
Dum tua victricis miratur fulmina dextræ.
Te videt in Tyrias plaudens Galatæa triremes
Neptuno sociata comes sævire, furentem
Et ferro & manibus, certantem & corpore toto.
Lætatur, gaudetque tuis adstare triumphis.
Obstupet ingentes animos dum *CAROLE* solus
Hostilem aggrederis fluctu obluctante triremem,
Quam prius armatis, sed frustra, glandibus urgent,
Tres *a* venetûm Melitena quibus Patrona secūdat
Prælia, quæsitos consummatura triumphos.
At ne communis fieret victoria multis,
Hanc totam facis esse tuam: victoria felix
Magnanimo *GLANDEVE* tuo debetur honori.
Non socias, tantum tua sed victoria testes
Quærit ut applaudant, laudent, mirentur, & omnes
Exemplis certare tuis & vincere discant.
Hæc est una dies quam virtus flagitat, inquis,
Exoptata mihi pugnare, & vincere solum

a *Tres venetiæ triremes & Melitæ Patrona eminùs unam Turcarum feriunt sed frustra: Dom. de Glandeves solus cum sua, adverso mari cominus aggreditur & capit.*

Armis posse meis. tunc non tua fata moratus
Hostes aggrederis; primo tamen impete, viles
Despiciens animas, illas te forte putasti
Indignas feriente mori, certamina cæde
Illustri incipiens, quid possit Martia virtus
FORTIS EQVES GLANDEVE probas dum nobile corpus *b*
Dignum glande tua, mactet quod dextera dignum
Eligis, arridet votis fortuna secundis.
Tunc armata manus Turcam felicibus armis
Concutit insignem factis & nomine clarum;
Hoc alii pereunte cadunt & morte sub una
Fit jam certa tibi incertæ victoria pugnæ:
Ære vomens flammas, oculisque minantia mortem
Fulgura, quot glandes mittis tot funera spargis.
Hostibus es terror pugnans, constantia turmis
Fis Equitum, cunctisque infracto robore magnum
EXEMPLVM NON MILES ERAS c Neptunus in armis
Te putat esse Deum; surgens miratur ab unda;
Anxius an fueris celso delapsus ab axe
Dum dubitat natusque recens ab origine Martis:
Vt probet armati generosum Fulminis ictu
Percussit trepidante latus? te sanguine fuso
Dum videt esse virum, stupuit, num talia possunt
Mortales, inquit, quæ tantum posse fatebar

b *Vnum ex Turcarum primoribus primo congressu propria manu occidit.*

c *Pugna incalescente D. de Glandevez vulneratur.*



Numina? ni ſuperet, ſaltem virtutibus æquit
Magnus eques, cui vulnus hiat dum ſanguine multo
Mens immota manet, quem non deponere cogit
Arma dolor. nullo gemitu conſentit ad ictum
Intrepidus majorque accepto vulnere ſurgit.
Non turbat cor grande timor, ſed nobilis ira
Vrget in hoſtilem gravius certare triremem.
Non eſt mortalis, num tantis auſibus impar?
Non Deus eſt, cruor iſte docet? tamen eſſe meretur.
Si velit æqualem Mars unus habere ſecundum
Hic erit; Heroo capiti, victricibus algis
Nereidum dilecta cohors impone corollas:
Collige permixtos generoſo ſanguine fluctus
Ne pereant, placidas rubeis formoſius undis
Ornatura genas, ſpargeſque coralia tanto
Sanguine, purpureos nuſquam amiſſura colores,
Signa reportati non defectura triumphi.
Dixerat, arridens ſua proluit ora cruore
Et Thetidos rediit fluitantem pulchrior aulam.
Ne timeas *GLANDEVE*, tua eſt victoria, ſanguis
Hic pariet lauros, toti venerabile mundo
Vulnus erit, dabit optatos ex hoſte triumphos.
Et tutum tibi pandit iter per ſœcula magnæ
Ad gratas virtutis opes; bellona probavit
Quid tua mens valeat; varii diſcrimina belli
Non renuis pulchrumque doces per tela per enſes,
Glandevumque putas, ferientem vincere ſortem.

Immotus virtute domas, eques inclyte, casum
Nil veritus, rides effuso sanguine membra
Aspiciens conspersa tuo: præsaga, trophæum
Mens clamat; ridens & inania vulnera, clamas
Vicimus, hoc nobis victoria parta cruore est;
Vicimus, hæc tanto debetur palma cruori,
Vicimus & nostrum faciet cruor iste trophæum:
Exoritur clamor, repetita voce, trophæum,
Vicimus, auditur, resonatque celeuma trophæum.
Deprimit audaces animos inimica triremis
Sanguineo cedens *GLANDEVI* victa labori:
Dunque unam insequeris, fugïentes vincis in una
Tres alias, invicte Heros, terrore fatiscunt,
Admiraturæ veniunt se jungere lauris
Æquoreis *GLANDEVE* tuis, hanc robore vincis
Has genio; hanc armis has solo nomine terres.
Gaudia quanta moves? quantos ô *CAROLE* qnantos
Fortunata tibi genuit victoria plausus!
Exclamant omnes, dignum te stirpe probasti
GLANDEVA, jam fida comes tibi bellica virtus
Non interruptas fœtu dabit ubere lauros.
I Sequere illustres ausus; imitare tuorum
Facta prius, factisque tuis monumenta parentum,
Te victore modo hæc fient majora sub uno.
Fortuna arridet, torques dum tela lacertis,
Irrita nulla sinit, jaculatos dirigît enses
Hac nullum ducente, vibras sine vulnere ferrum.
Nobilius quid Musa canit! formidine victa
Regna triumphatos plangent Byzantia cives,

Teque colent; Helles miserum tranantibus æquor
Agmina deduces certas minitantia mortes.
Cappadocum vastabis agros, Mœotidis oras,
Sauromatas Medosque premes; Persæque tumentes
Cædibus attriti te decertante peribunt.
Te Duce capta Rhodi renovatis mœnia pugnis
Inservire tuo non indignata triumpho
Gaudebunt, jussisque tuis parere coacta.
Te Duce, Carpathium Melitam mirabitur æquor,
Armatosque equites, victo de gurgite lauros
Evomet, & palmis annectet Lindus olivas.
Te Duce miles ovans captivi Strimonis amnem
Calcabit, Rhodopemque super tibi carpere lauros
Ascendet, ferroque evertet grande cacumen.
Dira triumphali curres per littora gressu
Euphratis, domiti præcludes ostia Nili
Atque Palestinis indices prælia terris.
Iordanis superabis aquas Turcisque fugatis
Immortale crucis rursus Iudæa trophæum
Sancta colet, sacrum venerabitur India signum
Armis victa tuis, fideique insignia nostræ
Caucasus agnoscet: tu conspirantibus astris
Vsus, inaccessos penetrabis victor ad axes
Sic Christo nova regna dabis, quæsitaque longè
Imperia, adjunges Melitenæ parta coronæ,
Hottomanumque tuis submittes legibus orbem.
Audito exultat Melite lætata triumpho
Teque triumphantem dum suscipit insula victis
Hostibus, insolitos effundit pectore plausus.
Plausus ubique sonat, quidquid clamatur in urbe
Vox

Vox est plaudentis, testatur gaudia plausus;
Festa salutares peperere incendia plausus.
Plebs mirata ruit, placido commota tumultu;
Gratatur reduci; quanta est victoria, clamat
Invidiam factura diis! tormentaque læto
Explodens sonitu, grata caligine cœlos
Obscurans, divos ad mutua gaudia cogit.
Arces continuo quas fluctu verberat æquor
Emittunt hilari crepitantia fulmina glande
Sulphureis armata rogis, & ovantia fundunt
Murmura, miscetur resonis clangoribus æther.
Summus eques Princeps Melitæ gratatur ovanti:
Plausibus immiscet plausus, celebremque triumphum
Ore probat, meritæque tuæ præconia laudis
Extollit: quantum Melitensis debeat ordo
Agnoscit, quantumque tuo debebit honori.
Castalidum gratata cohors phocæa sororum
Virgineum redimita caput præcinctaque lauris
Fatidicis, carmen tibi pectine dixit amico,
Lætitiam testata parem, communia junxit
Gaudia, Victorem communi voce salutat,
GLANDEVI nunquam tantos tacitura triumphos.

COMA VIASSI
CARMEN EXTEMPORALE.
1667. *Kal. Febr.*


UNDE decor juvenis? redivivaque forma
juventæ
Vnde *VIASSE* tibi? ſenium deponere triſte
Quis docuit? canoſque nigris mutare capillos?
Fare age, mirantique mihi miracula pandas.
Mentitam quæ dextra comam ſuſpendit in aures,
Ornatamque novo diſtinguens pectine fronti
Impoſuit, ficto diſcens juveneſcere crine?
Medeæ, nunquid rugas medicina fugavit,
Præteritoſque annos herba medicante reduxit
Atque capillato juvenem te vertice fecit?
Sum memor Aonii ſcandens ſacra culmina
montis,
Sæpius ut ſoleo, Phœbum vidiſſe comatum
Pieridum turmâ lætum ſtipante ſororum
Queîs mitis Cytherea, comes queîs numen amoris
Flamine virgineos inſpirant gratius ignes,
Sollicitant annos vatis revocare priores
Et nunquam voluiſſe ſenes, qui carmine docto
Plurima diſpoſuit Clariis anathemata Templis.
Vota placent Muſis, votis arridet Apollo
Et novus urit amor, ridens deponere crines
Phœbus ait ſe velle ſuos, ut pendula fiat

Vati Cæsaries immutatura senectam.
Phocaici gaudens decori servire Poëtæ
Atque senescentes capitis reparare ruinas.
Tunc jubet intonsos cultro radente capillos
Avelli Graioque dari pro munere vati.
Melpomene crines aurata lance, cadentes
Suscipit, ingenuo plaudentibus ore Camœnis,
Crinitamque facit Clio auxiliante coronam.
Ordine distinguit studioso. sedula crines,
Stringit honoratos nectens non dispare vinclo,
Suspensosque manu, pulchra discriminat arte,
Innumeris crispatque modis, digitisque figurat
In gyros, lætatur ovans, & amica capillis
Incubat implicitis flectens sursumque deorsum,
Pectere non cessat manibus placitura *VIASSO*.
Cæsaries nitidos Phœbo fit dante capillos,
Quo mandante, tibi sacro de vertice Musa
Docte *VIASSE* tibi capitique imponere gaudet
Melpomene, cum sis Cyrrhæis alter Apollo.
Cæsaries fluitans circum diverberat armos,
Et suspensa humeris vultus exornat aniles,
Laudatumque tuæ juvenescere frontis honorem
Cæsaries Phœbea facit, splendentia divis
Crinibus ora nitent, fortunatæque juventæ
Gloria crinitis vivit revocata coronis.
Vivat & æternum, tantum mirata decorem
Melpomene repetit Pimplæum lætior agmen.

CHRONOMETRON

traDIta CæsarIes MVLtIs tIbI serVIat annIs

M. DC. LVVIIIIII. 1667.



ALEXIS
SIVE
BALTHASARIS DE VIAS
MANES
ECLOGA.

Nobiliſſimis Clariſſimiſque D. D. Dominis de VIAS, BALTHASARI Domino de Valombert: IOAN. IACOBO Doctori Theologo Venerabilis Cœnobii S. Victoris Maſſilien. Religioſo: & IOAN. AVGVSTINO Nepotibus, Avunculi celeberrimi Muſarum Alumni

PARENTALIA.

L*Achrymas an plauſus defero? viri nobiliſſimi, patruum lugetis amiſſum, qui meritis & ſcientiâ erudito nemini vixit ignotus. Quod amiſeritis, lachrymas: quod talis vixerit, plauſus date.* Neſcit tamen virtus mori, & fati ignara ſemper vivit ſuperſtes. *Mirabitur poſteritas quem mirabilem vidimus; unum ſuæ deeſſe arbitrabitur felicitati, non vidiſſe quem colit: illum dolebit mortuum quem nunquam voluiſſet moriturum: ejus poſſeſſis librorum mo-*

numentis gloriata nos dicet feliciores qui authorem possedimus. Scimus, viri clarissimi, quod patruum optaverit Roma, ut tanti viri cresceret honore quo crevit Massilia. VRBANVS *Octavus sanctissimæ memoriæ Romam venire & morari sollicitavit, ut quæ antiquorum fuerat Poëtarum illustrata nominibus & titulis, ejus fieret illustrior, & quem audiverat doctissimum talem probaret. Illum ambivit nostræ ætatis Poëtarum principem quæ antiquitatis principes possederat. Voluisset tanto viro gloriari quæ tantorum fuerat nutrix, & in uno omnes simul venerari quos diversis erat venerata temporibus. Nulli sanè secundum adjudicaßet cum non parem reperisset. Invidit illum Roma Massiliæ sed non abstulit: & laudabili invidia, carmina est admirata quæ non potuit Poëtam mereri. Illum in illis coluit, quia in illis illius invenit simulachrum; ô quantùm præsentem amasset quæ tantùm absentem dilexit! quod tamen non potuit Roma, credidit posse Lutetia; sed quod mundi capiti denegaverat, non injustum putavit si regni capiti denegaret. Non sola Massilia tātæ testis fuit doctrinæ, viri nobilissimi, quæ nec magis distinctè designabat dum* VIASSVM *dicebat quam dum suum Poëtam appellabat, sed etiam Gallia quæ ne vestri patrui ingrata studiis videretur, Regis à Consiliis & nobilem à Camera, claris dignitatibus insignem fecit. Tot enim habebit suæ scientiæ Panegyristas, quot erunt operum lectores. Novimus advenas aliqua studiorum gratia claros nunquam Massiliâ patruo insalutato transiisse, ut viderent oculis quem auribus*

noverant, & depictam illius effigiem deferrent suis ostentaturi gentibus quem laudabant. Felices se credebant si qualis non erat viderent; feliciores nos qui qualis erat vidimus. Illi de illius lætabātur umbra, nos de illo cive gloriabamur. Famam suam in omne ævum duraturam, non mortuis imaginibus & silentibus statuis, posteris commendavit, sed vivis & loquacibus, dum studiis & virtute prorogavit. Noverat gloriosum esse facere digna quæ scribantur & scribere digna quæ legantur: at gloriosissimum qui possunt utrumque. Ex illis unus fuit patruus: suis enim libris aliorum gloriam posthumam reddidit, & alii suis, illius immortalem decantabunt. Admirabuntur posteri quæ scripsit & fecit, & tot verba quæ legent tot erunt præconia quæ dicent Illius virtutem, viri clarissimi, vestram credent felicitatem. Hanc dum aliis extollo, istam vobis astruo. Dumque mortuum dolebo patruum, in vobis charissimis nepotibus videbo redivivum. Pastores sub Alexis nomine patruum audietis lachrymantes, & rustico dolentes carmine mortuum vatem qui Regum triumphos & Heroum facinora tam bene cecinit, ut posteri sint admiraturi quem imitari desperabunt; nam cum tantus fuerit quis adæquabit? sic dum difficilis erit imitatio, gratiosior fiet admiratio. Cumque dum viveret patruus, sui in me innumera dederit amoris argumenta, hoc mei in eum jam mortuum & in vos nepotes ejus nobilissimos & clarissimos obsequii erigere volui monumentum. Massil. viii. Kalendas Decembris 1667.

ECLOGA.

Melibæus Tytirus Palæmon.

STellatos rutilans Aurora fugaverat ignes
Venturum Eoo promittens littore ſolem,
Erro dum triſtis per amica ſilentia ſylvæ,
Multa movens animo & curis ingentibus æger,
Inſperata mei lachrymatus fata *VIASSI*,
Impia quem gelido nuper Libitina ſepulchro
Condidit & rapuit ſubitæ inclementia mortis:
Audivi querulos ferali murmure fletus
Atque alternato Paſtores plangere luctu.
MEL. Tytire quæ luctus, tanti quæ cauſa doloris?
Ruſtica cur ſolitos non reddit tibia cantus?
Quid tauri, quid oves campis ſine lege vagantur?
Abjectoque pedo ſinis hinc errare per agros,
Innixus cubito? tanti quæ cauſa doloris?
Cur lachrymas, popliti ſuſpenſo poplite fundis?
Cur afflicta jacent, nulloque mapalia cultu
Squallida ſordeſcunt? humeris dependet amictus
Quem nullo retinent ſilveſtria vincula nodo?
Non-ne cruentato rapidus turbavit ovile
Dente lupus? frendens circum, balantia ſepta
Diſrupit, veritique greges jejuna voracis
Ora lupi, dant terga fugæ quæruntque ſalutem
Præcipites? dicas tanti quæ cauſa doloris?
TIT. neſcit verba dolor, lachrymas effundere novit

Non Melibæe, loqui; nescis Melibæe? MEL. quid ergo
Letiferæne domus? noster num vivit Alexis
Ruris deliciæ, longo jam grandior ævo?
Qui tenues inflans calamos gravitate senili,
Carmine composito, Pastorum tædia mulcet?
Qui suaves modulos, & melle fluentia verba
Ore suo dare multa solet, dum mente jocosâ
Ad testudineos miscet sua carmina cantus?
TIT. vixit & indomitæ crudeli licia cultro
Fregerunt parcæ. nunquam moriturus Alexis
Morte cadit, moriensque mei fit causa doloris.
MEL. Mortuus est, superi, villis tam charus Alexis!
Subripiunt celeres fatalia numina parcæ?
Funereisque movet vatem Rhadamantus Alexin
Sortibus & rigidis agitat quæsitor in urnis?
TIT. Vatem! MEL. quid vatem? magnos qui sæpe triumphos
Et Regum cecinit Phocæo prælia plectro?
Cujus & electis præcinxit tempora lauris
CLIO sæpe suis? Pindi quem sæpe cacumen
Vidimus intrepido mirantes scandere gressu?
Cui palmas, & sæpe lyram cui cessit Apollo?
TIT. Hunc Melibæe suis funesta silentibus umbris
Parca tenet stygiasque bibit lachrymabilis undas.
Pastores miseri lugent & oviliâ tantum
Lugent extinctum, præreptaque gaudia, vatem.
MEL. Hic hic proh numen potuit succũbere fatis!

Hic

Hic potuitne mori! lachrymas oculi date, Alexin
Communi liceat tecum deflere dolore.
Germinet infelix lugubres terra cupressus,
Non lauros palmasque ferat: te lugeat æther,
Te tellus, totusque tua gemat orbis in urna:
Ipsæ te pecudes, ipsa hæc armenta sub orno
Te doleant, spretis impasta suavibus herbis
Omnis & amissum lugens grex plangat Alexin.
TIT. Es Melibæe memor quoties hic nostra subibat
Tecta levi junco connexaque vimine, blandus
Sæpe sacras veniens visurus Apollinis arces,
Ingressusque casas nostris accumbere mensis
Gaudebat comedens positas cum lacte placentas;
Lactentique famem quoties sedabat in agno,
Quem prius insecto voluit describere lardo.
Buxeus huic lateri dependens cantharus ansâ
Obtulit Aonias sitienti sæpius undas,
Nostraque facundas inflabat fistula buccas,
Enarrans digitis teneros Amarillidis ignes.
Nostros ille greges dextra palpabat amica:
Semina laudabat cultis nascentia campis
Trunco & fronde sedens comi sermone loquutus
Labentes hilaris fallebat temporis horas,
Pastorum solitus verbis & reddere verba,
Responsumque lubens primo dabat ille petenti.
MEL. Vidimus ah quoties fluviorum insidere ripis
Descendunt altis dum nondum montibus umbræ
Pollice vocali tremulos impellere nervos;
Dicere pieria varium testudine carmen

Et lepidum cantare melos, dum concava ſylvæ
Vicinæ fidum reddunt penetralia cantum;
Tentabam cantus inter myrteta ſuaves
Voce ſequi, calamis, calamos imitatus Alexis;
Ah quoties riſit, tenui dum carmine ludens
Non æquata meo ſua grandia carmina vidit.
TIT. Mortuus eſt vates pavidis gratiſſimus agnis
Sæpe ſaginandis dextrâ dans paſcua tauris,
Noſter amor, noſtris decus immortale bubulcis,
Vpilionis honos & noſtri gloria campi;
Mortuus eſt, longos, Lacheſis niſi dura fuiſſet,
Qui victurus erat fatis melioribus annos.
Si ſaltem moriturus erat num debuit ille
Neſtoreos æquare dies & tempus & annos?
Noſtris Parca tamen felicibus invida terris
Forcipe præcipiti dilectum occidit Alexin,
Rure renaſcentes qui tantùm vidit ariſtas
Viginti quater & totidem diſcurrere ſoles
Inter ſigniferas obliquo tramite zonas.
MEL. Mortuus Aſcræis vivet virtutibus ingens,
Ante ſuum didicit diſperſo vivere funus
Carmine & æternis inſcripſit nomina faſtis.
Littora quæ Nereus ſpumantibus alluit undis,
Eximiis quâ terra patet fœcunda Poëtis;
Et quas Sol Oriens radiis flagrantibus urit,
Vel quas occiduus morienti lumine gentes
Aſpicit, auguſtum noverunt nomen Alexis,
Cognitus, & toto ſibi fecit ab orbe ſepulchrum.
Carmina nulla dies veniens Phocæa tacebit:
Flumina, ſi taceant homines, imitantia dicent

Et leni facient cantus audire susurro.
Sylvicolæ repetent dulci modulamine nymphæ
Quidquid Phocaici cecinit chelys enthea vatis.
TIT. Audi quo gemitu resonet Parnassia rupes
Audi quo doleant Cirrhæa cacumina planctu;
Aspice Pegasei turbatas fluminis undas,
Aspice Permessi pallentes littoris herbas.
Immutat virides ramos testata dolorem
Quercus & afflictæ marcent in montibus alni.
Insuper insolitis tauri mugitibus agros
Et non ingratæ pecudes balatibus implent.
Cur non flere mihi Melibæe licebit Alexin,
Amissum quem nostra gemunt armenta Poëtam?
Quo pulsante lyram motare cacumina sylvæ
Dixisses, vel si resonaret fistula buccis
Lætatum, aut citharæ nostrum saltabat ovile
Tripudians sonitu, densaque sub ilice capræ
Neglectâ attonitæ tundebant cornua fronde
Et tanto resoni circum tibicine montes,
Audito auditum reddebant carmine carmen.
MEL. Tityre non damno lachrymas, effundere tecum
Iam volui, similesque tuis agitare querelas.
Dum vatem rapuit, rapuit mors gaudia campis,
Agnovi, tanti cessent sed Tityre planctus.
Nonne datum satis est lachrymis, justoque dolori:
Castiga luctus, oculisque madentibus, imbres
Ad tua mœsta ruant tristes non amplius ora.
Errantes cogamus oves, stabuloque reclusis,
Robore nodoso aut pinus sub stipite nixi,

Vel sub florigeri spatioso vertice montis
Aut inter glaucas salices cytisumque virentem
Dum sol æquoreas tendit rubicundus ad undas
Sylvestri calamo dicamus Alexis honores ;
Tibiæ & alterno narrent præconia cantu.
Qualis erat quantusque fuit, quid scripsit & egit ;
Magna pio sonitu dabimus solatia tantis
Luctibus, agrestes celebri sacrabimus umbræ
Inferias, solamen erit cantatus Alexis.
TIT. Ægra quibus modulis poterit dare fistula cantus ?
Num tantùm raucos fremitus male garrula reddet?
Da lachrymas, oculique natent, Melibæe sub ulmo.
Radices deflendo riga ; discrimine nullo,
Lamentis gemitus, dignis suspiriâ misce
Fletibus ; immensum poscunt hæc fata dolorem.
MEL. Parce precor lachrymis, discordes comprime planctus.
Incultos tumulo dabimus pro funere versus.
Lugubrique modo doctam laudabimus umbram.
Planget & infelix geminato fistula cantu,
Indoctaque velis lachrymas mulcere cicuta.
TIT. Verba dolor prohibet, nascentia faucibus hærent,
Afflictoque gemens supplantat lingua Palato.
Vatem flere decet, tantis impendere damnis
Ingentes lachrymas ; nimios si fistula fletus
Excitet, hoc fateor, non hanc inflare recuso.
MEL. Pone modum lachrymis, duplici Latonia cursu

Fletibus immersum te vidit Luna peracto.
Num semper vis flere senem ? laudesque silere,
Et meritum ingratus tacito celare dolore ?
Quale genus, quales meruit laudatus honores ?
Munera Grajugenûm antiquâ quæ gessit in urbe ?
Versibus obtinuit Gallo quæ præmia Rege ?
Narremus nobis olim quæ dixit Alexis,
Ludebant dum armenta jugis errantia collis ;
Compressus cedat sincero luctus amori ;
Laudato venient nunquid solatia vate ?
Audiet, Elisiis iterum ridebit in agris :
Auditi fient nostri nova gaudia, cantus.
TIT. Dicere non renuo, sed flere aliquando licebit :
Sæpius emittet plausus dolor interruptos
Et miscebuntur tremulis lamenta cicutis.
Incipe Phocaïcum cantu lugere Poëtam,
Te sequor, & repetens mea fistula planget Alexin,
Multiforem mœsto complebo flamine buxum
Et lachrymas dicet concepto tibia vento.
MEL. Tityre, dum solito scandebat culmina, gressu,
Parnassi, festis redimitus tempora lauris,
Et crines hedera, suras ornante cothurno
Vt Musis sacra dona ferat, Phœboque merenti
Annua thura litet, mactetque altaribus agnos
Atria squallentis nostræ frondentia caulæ
Pulsat dum nondum igniti super astra volarent
Solis equi, sed jam nascens aurora rubebat :
Egressusque, datis manibus, quæ causa viarum

Blanda voce rogo; mactandos postulat agnos
Eductis ovibus quæ victima gratior aris
Eligat, æternum jurati pignus amoris:
At nostrum superat, vatis data gratia, munus.
Alloquor & mecum Patriis sermonibus egit;
Fare age, quanta tuæ dicas sit gentis origo,
Nam te forma decens ima de plebe negavit
Sed te patritia vultus de sorte fatetur.
Dic fasces, partas propria virtute curules.
Num prætextatus juvenem te cinxit amictus?
Vestis & ornavit trabeato splendida clavo?
Pampineis muro fornix qui frondibus hæret
Vertice arundineo cameratus vimine nexo,
Palmite diffuso vernans, suspensa columnis
Vinea fraxineis, ramos amplexa jacentes
Mille coloratis circum pendentibus uvis,
Invitet faciles audire & reddere verba,
Donec libandi expectata advenerit hora.
Hîc licet ardentes sol igneus evomat ortus,
Frondosæ semper præbent umbracula vites,
Æstivique dies viridi caligine frigent.
Risit & aspiciens vilem me, fronte serena,
Extensaque manu monstratas duxit ad umbras.
Hunc sequor, umbroso gradiens sub fornice fatur
Et genus & proavos, narratque ex ordine mores.
Phocaicis patria est, inquit, fundata colonis
Massilia, ignotis etiam bene cognita terris
Grandibus insignes titulis genuere parentes,
Nobilitate pares animis & moribus æqui.
Astarunt cunis & suscepere canentes

Nascentem Musæ, risit blanditus Apollo
Labraque contexens teneris rorantia labris
Pegaseos animæ dulces inspirat amores,
Et mea fonte sacro juvenilia proluit ora
Divinisque suis strictum gestavit in ulnis,
Atque coronatum lauris, hederaque comatum
Inter Hamadriadas puerum Musasque reliquit.
Cum primum potui verbis annectere verba
Mittor ad ingenuos studiosa mente Magistros.
Dilexi ignorans, audito carmine carmen,
Tentavique puer simili sermone profari,
Vt memini: gaudens imitata voce loquebar.
Arte sed assidua digito meliore sonantem
Pulso chelyn, subitoque effundo carmina cantu,
Ascendoque freqnens nativa cacumina Pindi
Hac dextra pulsante Lyram, mea carmina Clio
Audiit admirans, socium dignata Camœnis
Me voluit, votisque piæ plausere sorores.
Enthea tunc lætis intrat nova flamma medullis
Musarumque novos urens inspirat amores:
Ore loquens tantùm potui deducere versus,
Vox mea carmen erat, numeris conjungere verba
Vnica cura fuit, Pimplæa & lege ligare.
Pectora fervor agit facilique sequentia nimbo
Metra fluunt largoque exundat flumine vena,
Atque ultro missæ coëunt in carmina voces.
Ex animo versus calamo currente cadentes
Mirabar, promptoque interdum ultronea cursu
Carminis in socios properare vocabula nexus.
Talia dicebat nostro dum fornice Alexis

Itque reditque vias, comitor quem passibus æquis
Vix ego continui plausus, sonituque repenti
Intima sylvestrem fundunt præcordia versum;
Musæ & Hamadriades tibi plaudent semper Alexi.
TIT. Nuper fonte sedens ramis quem populus albis
Et permixta humili mirto querceta coronant;
Hìc ubi mulcentes blanditi mitius auras
Inspirant Zephiri, vidi gavisus Alexin
Qui me tranquillum simili dignatus amore
Miscuit argutæ mecum commercia linguæ,
Colloquiis dum armenta bibunt affatur amicis
Hæc narrans eadem. Sterili cum conjuge vixit
Sperata fecit nulla quæ prole parentem:
Et si non vidit charos de conjuge natos
Viveret ut moriens vivis aliquando superstes;
Pro pueris fœcunda dedit mens carmina vati
Vt nulli fieret docto non cognitus orbi;
Viveret & nunquam morituro carmine sæclis.
Purpureos vidit gestantem patria fasces:
Majorum vidit vigilantem incumbere chartis
Phœbus & antiquos evoluere carmine fastos;
Sudatas acies generoso scribere versu,
Facta virûm, laurosque ducum, Regumque triumphos.
Cum Musis fluxere dies studioque perenni
Successit cum nocte labor, vigilataque multis
Temporibus, docilis sæclo miranda futuro
Ingenii monumenta dedit, nomenque Poëtæ
Posteritas magni multos servabit in annos,

Nobilis

Nobilis & nullo livescet fama sepulchro.
Parca quid audaci truncasti stamina falce ?
Nunquid semper eras vates victurus Alexi ?
Te Driades sylvis te plangant Naïades undis.
MEL. Dixit plura mihi quæ sæcula nulla tacebunt
Et quæ populeis gladio sculpenda paravi
Corticibus, quæ turba legat ventura nepotum
Et quæ mirentur nullo delenda veterno
Pan, Fauni, Satyrique leves, viridesque Napeæ,
Montanique greges, placidis inclusa figuris.
Vrbanus triplicem qui gestat fronte coronam
Romanum Pastor nutu qui ducit ovile,
Carmina miratus tanti mellita Poetæ
Sollicitat Romam, Romano dignus honore
Vt veniat fixaque volens ibi sede moretur.
Roma celebrato fieri te vellet Alexi,
Major & antiquis olim famosa Poetis
Te toto fieri rursus spectabilis orbe
Musæ & Hamadriades tibi plaudent semper Alexi.
TIT. Illa-ne præteritis multum jactata Poetis
Principibus, tanto fieri jactantior isto
Vate cupit, nostri meliorum Principe vatum
Temporis, optabit cui talem carmine lecto
Invida posteritas: te nulli Roma secundum
Dixisset, cum nulla parem tibi viderit ætas.
Te qualem audivit talem te Roma probasset;
Vidisset claros te vate superstite vates,
Illi subripuit quos lamentabile fatum.
In te Papinios, Flaccos, venerata Marones

Roma, renascentes multos coluisset in uno,
Et nunc extinctum fatis te defleo vatem.
Te Driades sylvis te plangant Naiades undis.
MEL. At si non potuit tantum retinere Poetam
Roma potens. animi fœtus miratur Alexis.
Divinum laudavit opus, dum carmina legit,
Dixit digna cedro, citharis quæ cantet Apollo:
Sed quod Roma nequit, se posse Lutetia credit,
Hunc voluit fovisse sinu, malè credula votis
Sperat & optantem dudum spes vana fefellit.
Totum se voluit sua cui natalia debet;
Delicium Patriæ & totius gloria gentis,
Musæ & Hamadriades tibi plaudent semper Alexi.
TIT. Audivi, fieret ne ingrata Lutetia vati
Carminibus memorata sacris, regumque potentũ
Non ignara, prius cecinit quos pectine blando
Heroumque ducum, vatis mirabile carmen
Quorum venturos extendit nomen in annos,
Inclyta laudatum merito insignivit honore.
Regibus hunc charum fecit, Regumque ministrum
Consiliis, sociumque dedit primatibus aulæ.
Heu tanto scelerata viro non parca pepercit?
Te Driades sylvis te plangant Naïades undis.
MEL. Non satis est nostrum si patria laudet Alexin,
Laudatur toti studioso cognitus orbi.
Nam quicumque legunt solertia carmina, laudant,
Quotque legunt versus, totidem præconia dicunt.
Olim Phocaïcæ clarissimus advena terræ
Adfuit à Batavis longè glacialibus oris

Vt videat te vatem oculis quem noverat aure,
Depictamque tuæ servavit imaginis umbram
Ostentaturus vivacia gentibus ora
Vatis, quem norunt audito carmine tantum.
Te tamen immittis nimium rapuere sorores!
Hoc supra tumulos & magni funus Alexis
Insculptum semper fato renuente legatur,
Musæ & Hamadriades tibi plaudent semper Alexi.

TIT Vmbra tui si sola potest fecisse beatos,
O nos felices, visus quos sæpe beavit
Vultus & assuetis non elabentia fecit
Gaudia, sed quoties placuit renovanda volenti.
Qualis eras spectare datur frontemque coronis
Vidimus implicitam, vigilis Daphnea laboris
Merces laurus erat, sudataque carmine palma.
Vidimus & quoties ad dulcia plectra canentem
Pieriis fidibus digitisque animare cicutam;
Ludentem campis utres inflare sonoros,
Et mulcere Deos. Et nunc te Parca trucidat!
Te Driades sylvis te plangant Naiades undis.

MEL. Henrici cecinit victrices carmine lauros
Decertans quas dextra tulit procul hoste fugato.
Sylvarumque jacens lætus regalibus umbris
Carmina Ludoico descripsit principe digna,
Peiresii tumulos plorataque funera dixit,
Tristis & æternas erexit manibus urnas.
Pasitheæ, Euphrosinæ & mores cantavit Aglaïæ,
Quarum nulla ferent anni dispendia formæ,
Illarum castos & arundine dixit amores
Plura cheli cecinit, venturis posthuma mittet

Admiraturis melior quæ gloria sæclis.
Sed tamen ô superi moritur qui carmina plectro
tam miti cecinit nunquam moriturus Alexis?
Hoc precor ô vates faveant si numina votis,
Sit tibi terra levis, nullo tua pondere tellus
Conclamata premat latitantia membra sepulchro.
Lilia spargantur circum, violæque rosæque,
Intempestivo flores nascantur odore,
Grandis & assurgat fugienti vertice laurus
Insculptoque ferat descriptum cortice versum
Musæ & Harmadriades tibi plaudent semper Alexi.
TIT. Ille sui genii simulachra silentia vivis
Versibus expressit, multisque probanda reliquit
Gentibus & nunquam morsu rodenda vetusto
Carmina marmoreos Regum victura triumphos,
Falce tamen dira Parcæ fregere nocentes
Licia Phocaici numquam scindenda Poetæ!
Heu potuit capitis Proserpina radere crines?
Et tumulo, tantum sine crimine claudere vatem?
Invida te nostris rapuerunt numina terris;
Sed tristis dum vita meos animaverit artus
Neglectis ovibus lugens te canna sonabit:
Solus eris nostra cantatus arundine vates.
Corpus, terra premens nullo scindetur aratro,
Nobilior mittet pretioso germine glebas.
Non hîc invenient nascentia pascua tauri.
Hîc crescent flores & odori thuris acervi,
Hîc volucres tenui lugebunt murmure vatem:
Te plangent armenta boum, pecudesque dolebunt;

Afflictoque mihi placet inscripsisse sepulchro.
Te Driades sylvis te plangent Naiades undis.
MEL. Sed quò præcipiti ducit vestigia gressu
Pastor jucundo subridens ore Palemon,
Tristia miscemus dum nos lamenta querelis?
Fatorum telis occisum ignorat Alexin,
Forte nec audivit defleti funera vatis.
TIT. Vnde venis, quò tendis iter quæ causa viarum?
Quid rides dum flere decet? quæ tanta Palemon
Risus causa tui? *PAL.* sed vos quæ causa doloris
Dicite? quid risus prohibet dum monte choreas
Aonio, Musæ Phœbo ludente recentes
Ducunt & celebrant festivo carmina plausu?
Dum sylvæ resonant, dum pastoralia Daphnis,
Et læti comites, calamis nova gaudia miscent?
TIT. Fleres, causa mei si non in cognita fletus.
PAL. Rideres, si causa mei sit cognita risus.
TIT. Amissum fatis nostrum deflemus Alexin.
PAL. Vivum morte sua vatem celebramus Alexin.
TIT. Non tanti te fata viri crudelia tangunt?
PAL. Non tanti vos digna movet nova gloria vatis?
Iam cessent lachrymæ, planctus non aëra pulsent;
Plausibus emissis plausus respondeat Echo:
Non moritur quem Musa colit, cui destinat aras
Musa, cui merito fumant altaria thure
Non moritur, numenque novum, quem clamat Apollo,
Et quem victurum fatorum lege soluta,

Agmen Castalidum Phœbi sociavit honori.

MEL. Tytire jam lachrymis succedant gaudia fusis:
Non mæror nunc corda gravet; suspiria, planctus
Nesciat; atque hilares det pendula fistula cantus.

TIT. Plausus ubique sonet, mea tibia cantet Alexin
Semper & æterno dicat te carmine numen.
Hoc unum gaudens rogito te, chare Palemon,
Dicere quis vigilans docuit te talia pastor.

PAL. Parnassi recubans inter myrteta bicornis
Nuper ego, pingues tundunt dum gramina tauri,
Atque errant agiles capri, saliuntque capellæ
Per ruptos saxo circum pendente recessus,
Perrepuntque glabras scruposo vertice cautes,
Vidi ludentes citharis & pectine Musas,
Et citharæ ad sonitum saltus agitare jocosos.
Phœbus erat media, sine pectine, sede quietus
Applaudens Musis, citharam sed voce sequutus
Concordi, modulos vicinis excitat antris,
Et symphoniaco resonant modulamine sylvæ,
Cum subitò audita tacuerunt morte Poëtæ:
Totus & amissum deflet Parnassus Alexin.
Obstupuere omnes, lachrymarum decidit imber,
Crinibus effusis, mœrentia pectora tundunt,
Plectra silent; nullos sonitus lyra reddit, & omnes
Impositas capiti attonitus marcescere lauros
Vidit Apollo suas, montes resonant ululatu
Musarum, quarum vati charissima Clio
Præceps occurrit lachrymans Acherontis ad undas,
Cocytique lacus, Letheaque flumina transit.

Occupat Elysii limen venerabile campi,
Venturumque suum mœrens expectat Alexin.
Cum primum attrito venientem suspicit ore
Dimissisque oculis, Parcis stipantibus umbram,
Magnorum ut parili vatum dignetur honore,
Invitis rapuit Parcis festina sequacem,
Non, fortunatas sedes intrare paratum
Elysii patitur, camposque habitare beatos,
Conciliumque pium. Tantæ felicior umbræ
Debetur tellus & fortunatior aër:
Noster eris divûmque choris sociaberis unus.
His dictis montem repetens comitante Poëta
Excitat incæptos renovato carmine cantus.
Occurrunt Musæ, lætæ risere sorores
Monte sub Aonio, fatis ereptus Alexis
Dum stetit, & victor stygia surrexit ab urna.
Prima caput Clio, palmaque hederaque virenti
Cinxit, & effusos crines cervice senili,
Nectare odorato, syrioque irrorat amomo,
Permiscetque rosis vitta stringente capillos.
Circumstant omnes, gaudentque applaudere Alexi.
Carmina quæ cecinit, canit hæc, parat illa coronas,
Hæc lauros offert, floresque dat illa Sabæos:
Hæc violas spargit, nexis fert illa canistris
Lilia, & exclamant, nullis æquande Poëtis
Fortunate senex, ergo tua scripta manebunt!
Posteritas leget hæc, & te contenta sagaci
Vate suo, carmen Publii, carmenque Tibulli
Nesciet & spernens vatum memorata silebit

Nomina, Romuleæ quondam notiſſima genti.
Vates ſolus eris mundo poſt fata ſuperſtes.
Se molli jactet Verona ſuperba Catullo,
Smyrna ſuum celebris notum commendet Homerū
Virgiliumque ſuum felici Mantua partu,
Roma pharetratos laudet Nasonis amores,
Gentibus ignotos plangent aliquando Poëtas:
Phocaïci tantùm durabunt vatis honores.
Non defecturos dicent venientia verſus
Sæcula, ſola ſuo ſemper celeberrima vate
Maſſilia altiloqui puro gaudebit Alexis
Carmine, & auguſtis ſervabit nomina faſtis.
Dumque ſoporifero luſtrabit lumine terras
Cynthia, inexhauſto voluet dum ſæcula motu
Phœbus & ignitis errabunt ſydera cœlis,
Fortunate ſenex nulli non cognita mundo
Carmina, Muſarum digitis ad plectra ſonabunt.
Accurrens ſtrictis amplexibus hæret Apollo
Gaudens dicta probat; tu ſis novus hoſpes, Alexi
Pieriiſque comes novus, inquit, Graiæ Camœnis.
Aſpice ut auratis niteant laquearia Templi
Carminibus decorata tuis ut ſpiret imago
Laurigeris redimita comis, noſtriſque locata
ſedibus, aſſurgat vivo depicta colore.
Te vates rogitent, vatum te mundus adoret,
Sacrificoque ſuum fateatur carmine numen.
Templa rogaturi venient Heliconia vates,
Præmia laudato tibi conquiſita dicabunt.
Perque tuos manes jurent in monte Poëtæ,
Igne velint ardere tuo præcordia vatum;
Nobiliuſque

Nobiliusque tuo cantabunt numine pleni.
Non me non Musas emissa in vota precentur:
Numen eris spirans, aderisque vocatus, Alexi:
Parnasso satis unus eris, pendensque sororum
Tota tui placido cantantis ab ore Camena,
Inclusum in magno Phœbum veneretur Alexi.
Dixit & impositum coluit melioribus aris,
Imperiumque dedit, Pindum virtute regendum
Obtulit & stygio Parcis Liventibus orco
Immortale sui commendans nomen Alexis
Reddidit & Cyrrhæ divino æquavit honori.
Vivet Phœbea nunquam moriturus in arce
Dulcisonis calamos Musæ nunc flatibus urgent,
Atque novum cithara numen plaudente salutant.
Talia miratus passu volitante cucurri
Montivagis gaudens pastorum dicere turmis.
TIT. Hinc procul hinc lachrymæ, plaudenti fistula cantu
Gaudia deposito testetur nostra dolore.
Atropos immanis, Lachesisque & ferrea Clotho,
Subdita mirentur tanto sua numina vati;
Attonitæ pensis etiam vixisse recisis:
Monte sacro vivit post funera noster Alexis
Musarum Dominus, Musis novus alter Apollo.
MEL. Ipsa sonent arbusta Deum, sacrabit honores
Agricola & plaudens solemnia festa quot annis
Instituet, semperque suum cantabit Alexim.
PAL. Dumque elementa ruent totus dum decidet orbis

Et dum communem planget natura ruinam
Gloria cum superis mansuri vivet Alexis.
Dum me sylva tenet flammato impervia soli,
Dumosos inter saltus nemorosaque tempe,
Hæc ego lætatus jucundis auribus hausi;
Tunc castigavi lachrymas in fata Viassi,
Qui famam æternis novit transcribere sæclis
Et duraturam proferre in carmine laudem.



Illustrissimo clarissimoque Ecclesiæ Principi

LUDOVICO FOUQUET

ECCLESIÆ AGATHENSIS EPISCOPO.

T*Vum est quod tibi offerimus* (Præsul Illustrissime) *cum Piscenense Seminarium tua conceptum industria, tuis nascens sumptibus, & tua virtute perficiendum deferamus. Divinum sanè opus primis Ecclesiæ sæculis notum, sequentibus neglectum, nostro per te renovandum, te dignum, futuris imitandum & inferis formidandum. Seminarium erigis, imo arcem astruis Christianam, ut Clerici, sacri facti milites sanctitatem & probos mores jam edocti sacrum edisçant bellum, & sciant dæmones hostes infensissimos oppugnare expugnare & vincere. Ibi sanctæ & cœlestis scripturæ eloquio, sanctorum Patrum & Conciliorum Doctrina, gladio Domini armati, tartareas aggressi cohortes fugent & deleant. Induti armaturam Dei,*

succincti lumbos in veritate, induti lorica justitiæ, calceati in præparatione Evangelii, sumentes scutum fidei, galeam salutis, vigilantes in omni instantiâ & fortes facti in bello castra vertent exterorum. Per te triumphabunt, Præsul Illustrissime, *qui per te sunt pugnaturi. Tui erunt triumphi, illorum victoriæ. Tuo pugnabunt Imperio & tuo triumphabunt exemplo. Habes Agathæ nobile Seminarium in quo Clerici Sacerdotalem discunt disciplinam, voluisti Piscenis, in quo Ecclesiasticam discant militiam. Unum est tibi cum multis præsulibus commune; alterum est tibi singulare & ne tuæ aliquid deesse videretur pietati, aliud Massiliani erexisti, ut à teneris annis pueri bonis imbuti moribus & primâ vitæ custoditâ innocentiâ, innocentes aliquando sponsæ Christi inserviant Ecclesiæ. Felix ergo Agathensis Ecclesia quæ te colit præsulem & tantæ artis te laudat authorem: illi praees & prodes, nec tam optas praeesse quam prodesse. Tua virtute illustrem facis & sacris armatis militibus securam reddes. Illius tibi creditum est regimen, quod tibi gloriosum & habes regendi ingenium, quod illi necessarium. Potentiam & modestiam misces dum praees; sanctitatem & reverentiam inspiras dum prodes. Vnde in Pastorali fastigio non magnus magis quam bonus esse desideras, & dum in tanta sublimitate fastum castigas, doces te meruisse quod es adeptus. Fatemur omnes te ad tantæ dignitatis apicem evectum ad imitationis exemplar, ad sæculi lucem, ad splendorem Ecclesiæ. Legant alii libris quid faciant, tu leges quid feceris; qui te vident te*

amant; qui te non vident te optant. His es in honore, aliis in laude; alibi factis; aliis fama præsens quasi ubique fuisti. Vbi ades (Præsul Illustrissime *) es in deliciis: ubi abes in desideriis. Absentem te optamus ut te reduce lætemur. Si cœlum arrideat*

Consummabuntur non longo gaudia voto.

ARX CHRISTIANA
SIVE
SEMINARIVM PISCENENSE.
1669.

UNde repentino spatiosa cacumine nascens
Surgit ad astra domus doctis habitanda colonis?
Astruit hanc quæ prompta manus, promptoque labore
Quis Deus urget opus? nunquid festina superni
Mens Genii, facilis lapides quos malleus ornat
Ordine discectos docuit disponere circum
Et permansurâ solidatos lege ligare?
Dic mihi Musa precor dites impendere sumptus
Quis potuit sinuans lepidos subtiliter arcus?
Vulgaris non tanta manus fundamina misit,
Nec de plebejo crescit domus ista labore.
Divinis domus assurgit fundata ministris
Divinumque assurgit opus, durabile donec
In commune chaos redeat natura ruinis
Mersa suis: gelidum calidis mare misceat astris;

Disrupto pereat terrarum machina nexu ;
Et formidando mundus solvatur in igne.
Nobilis at cæptis placeat si mœnibus ædes ,
Spectantesque oculos solo captivet in ortu ,
Admiraturis quid consummata relinquet ?
Non hic Niliacis desudant limina saxis ,
Marmore non Paphio sublimia tecta renident
Atque Corinthiacis sunt hic suffulta columnis.
Est tenuis, simplexque domus, fastusque prophani
Nescia ; *LVDOICO* tamen est dignissima nostro
Præsule & hospitibus sedes implenda disertis.
LVDOICE augustas virtutibus erigis arces
Arte nova fraudes oppugnaturus iniqui
Dæmonis , indicens bellum implacabile genti
Tartareæ , igniferis quæ captivata catastis
Dira fremet , discetque tuis occumbere telis.
Romani immerito jactent Capitolia plausu,
Invicti decus imperii , roburque Senatus ;
Piscenis meliora facis : Tarpeia rupes
Talia non vidit ; debellatura minaces
Gallorum strepitus , Brennique injusta petentis.
Hæc tua divini surgunt ultricia cultus
Et stygis emotos tetricæ domitura furores ,
Infernumque nefas Cocyti & crimina rivi.
Infremit exustis dæmon occlusus in antris,
Audiit incœptis dum armamentaria muris
Attolli , Eumenidum subitas minitantia clades.
Obstupet erectas arces : ad bella paratur
Proxima ; majores ausus sperare triumphos.
Iam bellatrices animis candentibus iras

Concipit & totum ſpirat violentus Avernum.
Turbatur pavidus, confuſum murmur ab orco
Auditur tremulo, caligantesque profundi
Convocat armatos inferni ad ſigna maniplos;
Qui Phlegetontea mœrens inglorius aula
Excitat immanes furias, flammâque nocenti
Imperat iratus Cyclopea tela parari;
Exululat, voceſque tonans effundit inanes.
Pellimur heu miſeri, tetroque in carcere clauſi
Regnatis olim terris arcemur inulti,
Cogimur extorres partis excedere regnis,
Et modo Tænariis devicti includimur antris,
Sulphureoſque lacus oppreſſi habitare jubemur:
Ars hæc in noſtram communem erecta ruinam,
Nos domitos rursùs mundo regnare vetabit,
Deſtruet Imperium tanto ſudore paratum,
Tanto defenſum: quanta eſt injuria! quanta!
Deteget illa dolos, hominesque ad crimina pronos,
Nonne triumphatos, ſcelerum fera vincula rũpens
Audax edomiti calcatis legibus orci,
Inſervire poli faciet ſecura triumphis?
Tartareos vigilans tuto custode repellet
Incurſus, campiſque emiſſo milite vincet
Me, civeſque meos, pugnæ famulantibus aſtris
Contendet procul hinc toto depellere mundo.
Signa meis adverſa feret belloque fugatus
Exul ad obſcuros Erebi detrudar hiatus;
Cogar Avernoſis victus lugere ſub antris
Deſpectus ſuperis, populoque jubere minori
Cogar, *LVDOICO* captivus vindice factus

Cogar, & oppressus vinclis lugere ruinas.
Terra diu nostris regnata nocentibus armis
Læta triumphali Christo parebit amore,
Et ligno secura crucis, gaudebit ab orco,
Se Piscennensi ereptam feliciter arce.
Tales præsaga sceleratas mente querelas
Evomit infrendens, conjuratoque tumultu
Invidet, & nondum satiata cædibus ira
Insidias rapidus sacras meditatur in ædes,
Nil intentatum rabie dictante relinquet.
Ferali innocuas comburet lampade terras;
Æterna sub nocte latens ultricia mittet
Spicula, pollutis contundens corda sagittis:
Ibit in omne nefas; dirum scelus omne movebit
Venturæque suæ excurret dans signa ruinæ,
Et minitans Agathæ totum lustrabitur orbem.
Miles ab arce reum veniens armatus in hostem
Prælia miscebit, divinaque fulmina mittens
Ore suo, pugnabit ovans, fœcunda triumphis
Arma geret, fiet sacræ victoria pugnæ
Fida comes, divos oculis ardentibus ignes
Emittens, fœdo vincet sine vulnere miles.
Territus aufugiet Dæmon, sub nocte silenti
Et tenebris latitans minui sua regna dolebit
Angerique Dei, sævo procul hoste fugato
Tunc Agathæ populis pax inconcussa manebit.
Victrici Moses redivivus voce fatigans
Sydera, captivos victo Pharaone vocabit
Sacrificaturos gaudens campestribus aris,
Ægypti spretis epulis, Phariosque sequentes

Æquoreis iterum felix tumulabit in undis.
Aut Amalecitas Iosue pugnante rebelles
Elatis vincet fidens ad sydera dextris.
Rursus ibi Ierico, resono clangore tubarum
Mœnia sternet humi, cælos tangentia miles,
Æquabitque solo, cumulabitque aggere in uno.
Si Madianitæ castris tentoria figant
Oppupnaturi telis audacibus arcem,
Arx erecta novos Gedeontas lampade mittet
Armatos, fractâ vincent plodente lagenâ:
Inflatisque tubis docto clangentibus ore,
Buccina terrebit divino flamine plena,
Hostiles turmas proprio se cædere ferro
Atque cruentatis cogens se sternere telis;
Mutua, & alternè fugientes morte perire.
Sic victus Madian renovans certamina, vinci
Se Gedeonteis iterum mirabitur armis;
Obtundentque alii Samsones ora leonum
Numina placabunt Phinees offensa renati.
Inde Philistæi lapidata fronte cadentis
Grande caput tollet præciso gutture David.
Zelantes Eliæ flammatas Iesabel iras
Non veriti, querulas fundent in crimina voces,
Ad Reges mittentur Achab, Nabothque furenti
Invidia occisum, verbo objurgante querentur;
Cælitus emisso consument igne nocentes
Legatos, Regemque gravi mordente dolore
Plangentem, mortis venturæ fata minati
Formidata sinent descendere ad antra sepulchri.
Baptistæ assurgent: nullo prohibente timore
Herodis

Herodis thalamos incesta pellice turpes
Damnabunt, Herodiadæ licet ira minetur
Et ferrum & virgas, & cædem, & vincula, & enses.
Cœlestes aderunt Pauli, sermone tonantes
Arguet omne nefas divina miles ab arce
Atque Augustini decertans fortiter ense
Et Thomæ pharetris, discet reparare ruinas
Est nuper quas passa gemens Ecclesia Christi,
Quam pulchram voluit dæmon turpare nefandis
Moribus illicitis, licitos sine crimine clamans,
Doctrinæque novæ putri corrumpere fæce.
Antiquos ritus, antiqua & dogmata patrum
Gentis Apostolicæ renovans, ad sydera miles
Arctatum monstrabit iter, tutamque docebit
Esse viam, quam crux pungens quam pœna paravit
Sed non divitiæ, scelerataque gloria mundi:
Doctrinam, authoresque suos damnabit ab arce,
Vlciscente prius damnatos fulmine Petri.
Regnabit virtus & Gallo cognita regno
Mutâ voce loquax ad propugnacula mittet
Decertaturas verbo pugnante phalanges.
Ad sacra juratus veniet certamina miles,
Doctrina & studio, doctis & præditus armis,
Hostes agressus, firmâ statione vetabit
Præreptâ intrusos primâ consistere terrâ,
Incursusque graves lingua clamante retundet.
Crimina cessabunt, pietas sua jura resumet:
Regna triumphatum plangent Acherontica Regē;

Regna triumphanti plaudent cæleſtia Regi.
Mille reportatis arx undique plena trophæis
Hinc procul ejectos hoſtes ridebit Averni.
Grandia victrices intexent limina palmæ,
Victoriſque caput generoſo palmite laurus
Militis ornabit, frontem ſudata coronans.
Pompa triumphalis repetito ſæpe duello
Prælia, devictis ſemper comitata ſequetur
Hoſtibus, illuſtres bellatrix gloria plauſus
Fundet & æternos lauris miſcebit honores.
Chriſto Marte ſuo plenus clariſſimus Heros
Truncabit ſtygias divo ſermone catervas,
Tartareoſque animos verbo ſtimulante minatus
Deprimet & ſolitos coget ſedare furores,
Imperiumque pati, ignitiſque gemiſcere vinclis.
Hæreſis infrendens ſubitas vaneſcet in auras
Ingenioſa dolis, triſti Calvinus in orco
Flammatos inter crepitus flammaſque nocentes,
Doctrinæ immanis detectâ fraude dolebit:
Et Calviniaci ſacrâ formidine victi
Quod ſprevere colent & quod coluere repellent;
Amplexique crucem fideique inſignia noſtræ
Non indignati tanto inſervire triumpho
Gaudebunt, juſſiſque Petri parere coacti.
Tunc grex unus erit gradiens paſtore ſub uno
Non altercatus Romano ſtabit ovili,
Gramine divino tutus paſcetur eodem,
Delapſiſque polo vivis potabitur undis.
Regnabit tunc una fides, tunc una poteſtas
Indiviſa reget populos Romana fideles,


Christiadumque cohors una tunc voce loquetur :
Fumabunt simili succensa altaria thure.
Tunc omnes unam poterunt sperare salutem
Communique via optatos ascendere cœlos.
Te Duce laudatum, clarissime præsul, inibit
Bellum miles ovans, tua pugnans arma sequutus,
Castra repercussis vincens inimica sagittis
Conteret & meritis lauros annectet olivis.
Te Duce nil veritus discet tolerare labores :
Crimen & exosus, sordesque scelusque nefasque
Intrepidus tutis Agathæ depellet ab oris,
Et miscebuntur sperato gaudia plausu.
Te Duce fida tibi, vultu victoria blando
Arridens, semperque favens victricibus armis
Te bellatorem palma lauroque comabit,
Fiet & innumeris augustior insula prædis.
Te Duce prostratæ surgent virtutis honores,
Exemploque tuo, pietas incognita terris
Fortunata novo surget rediviva decore,
Sumet & antiquos vultus, clarissime Præsul,
O nos felices, felices arce futuros
Si Piscenensi liceat spectare triumphos,
Quos tua dextra feret spoliis hostilibus ingens.
Dux & miles eris, tanto te milite miles
Pugnabit certus forti in certamine palmæ.
Illa dies aderit lachrymis votisque petitá,
Exoptata diu precibus reddenda tuorum ;
Quæ te certantem nobis aliquando videbit
Militibus, palmisque tuis sociabit amicis.
O felix nimium felix, optandaque multùm

Vna tuis Agathæ populis & debita votis
Læta dies! quantæ cæleſtia tempora lauri
Includent, præſens dum bella movebis in hoſtes!
Et duce te miles doctis pugnabit arenis!
Tu tamen interea faveant dum numina votis,
Piſcenis abſens pugnaces erigis arces,
Virtutis monimenta tuæ, ſæcliſque futuris
Et noſtro, ſurgent Genio miracula ſolo
Digna tuo, tuitura bonos, ruptura malorum
Concilia, & Chriſto caſtigatura rebelles.
Quale decus, præſul, te gloria quanta ſequetur
Dum nummis ſuſcepta tuis fundamina ſurgent,
Arx & in hoſtiles turmas perfecta tonabit?
Divinum hoc urgebis opus, ſubitoque calore
Structa domus, diros muris terrentibus hoſtes
Tranquillum præſtantis erit virtutis aſylum,
Præſidium fidei, ſancti tutamen amoris
Et finis ſcelerum, inferníque ruina miniſtri.
Iam gemit, exclamat, furit excandeſcit, & ardet
Dæmon arce tua; quæſtus, ſuſpyria, luctus
Excruciant, vanas teter vomit ore querelas.
Veloci inceptos urge pietate labores
Te dignos, dignamque tuis conatibus arcem.
Non aliis ſervetur honos, te gloria ſolum
Tanta manet, tantæque domus fundamina miſit
Qui primus celſum deducet ad æthera culmen;
Atque erecta ſuis ſpectans faſtigia curis
Gaudebit, ſtructamque ſuæ mirabitur arcem
Mentis opus, ſculptiſque leget ſub limine ſaxis,

Extulit hanc Agathæ præsul FOVQVETIVS arcem
Debellaturus divinis Dæmona telis.

CHRONOMETRON

aſſVrgIt feſtIVa DoMVs feLICIter anno.
M. DC. LVVVIIII. 1669.



CLARISSIMO VIRO D. D.

HIERONIMO TENQVE


DOCTORI MEDICO

Pro Cathedra Regia vacante, diſputanti
in Academia Mompelienſi

PLAVSVS.

T*ENQVE* Machaoniâ ſurgis doctiſſimus arte;
Quos tibi ſperatos voluit medicina triũphos
Pollicitus, medicæ veniens ad bella Paleſtræ.
Ne dubites, tua laurus erit, victoria pugnæ
Debetur vigilata tuæ, contendere teſte
Si liceat Chirone Deo, tantæque ſupremo
Litis Agonothetâ, orcheſtrâ ſpectator ab alta
Si diſceptantum ſedeat Podalirius æquus
Arbiter & magno ſub Apolline judice certes.
Non decus eſt ſi det pugnatas gratia palmas
Non meritum, favor, ambitio, non unica virtus.
Sic ſic magnanimum te te viciſſe puderet.
Qualis honos & quale decus ſi forte coronent

Quas mendicatæ numerata pecunia, palmæ
Victori peperit? genio Victoria *TENQUE*
Est talis non digna tuo: laurosque mereris
Non emis, optatos referet tua dextra triumphos,
Non petet; esse tuum, sudatas carpere palmas
Marte tuo dicent: alienis sumere dextris
Es dedignatus, quas non tua demetit ense
Dextra tuo, non esse tuas, generose, fateris:
Præmia sint optas pugnæ, non munera, lauri.
Si felix fortuna tuis non præsidet armis,
Et detur certata tibi, non palma merenti,
Immortalis erit tibi laus, insignia pugnæ
Grandia victricis, solum meruisse triumphos;
Et dignus tanto semper diceris honore;
Gloria durabit vigili quæsita labore.
Tu morbis solamen eris, tutela salutis
Dicetur genius, longos panacea dolores
Expellet tua docta manus, tua dextera solers
Securo faciet pretiosa pericula succo.
Alter Alexicacus facili medicamine sanans
Corpora lethali solves languentia morbo,
Et centaureâ dudum securior herbâ
Hypocrates redivivus eris; natura cupitam
Innumeris afflicta malis sperare salutem
Audebit medicante tua fidentiùs arte.
Ægra laborarent forsan si numina cœlis
Sanari medico te vellent *TENQUE* perito.
Hæc cecinit mihi Musa Cheli præsaga futuri
Et numquam mentita mihi, averruncus Apollo
Talia dicebat resonantia barbita pulsans.



Illustrissimo clarissimoque Ecclesiæ Principi D.

D. FRANCISCO BOSQVET

MONTIS PESSVLANI

Episcopo Regis à Conciliis, &c.

CVM Illustrissimum Episcopum, apud Gijannum amænissimum tempe & jucundissimum Tusculanum salutaturus convenissem, per aliquot dies secum morari me comiter invitavit. In fructuario, una die, viridario deambulans limpidissimum fontem admiratus, per diversos tubulos varie aquas in aëra jaculantem, subitaneo carmine exaravi descriptionem. Cumque illa dies natalis esset, hujus Illustrissimi Domini, omni scientiarum genere ornatissimi, carmen hoc obtuli extemporale, quod solita excipiens comitate, mihi pergratum fecit.

FONS GIIANNI

CARMEN EXTEMPORALE in die natali.

CLio sperne precor Permessi fluminis undas
Parnassique tui, antiquæ miracula gentis,
Pegaseos latices, admiratura Gijanni
Mites fontis aquas, jactu variante cadentes,
Ludentique tubis, jaculatas impete sursum.
Fons elatus aquis, humilis quem concha coronat

Horti ſtat medio lepidis cryſtallinus undis:
Inſperata viris multo dat gaudia luſu,
Spectanteſque oculos limphis captivat amænis,
Naſcitur unda novem, madidas emiſſa per auras
Grata tubis, liquidoſque cadens ſinuatur in arcus.
Quæ modò multiplici vibrata foramine circum
Arte nova, miſſos imbres imitatur ab æthra;
Ardentis tremulo Solis radiata nitore,
Iridis innumeros facit inſpectare colores,
Inter & apparet varians Thaumantia lymphas
Quæ picturato fontem velamine cingit
Et totam ficto decorat velamine concham.
Hæc modo dat criſtam limphâ criſpante videre
Pennoſam cano ſpumoſa cacumine naſcens,
Et jucunda ſuis fluit unda volatilis undis.
Ecce (tuo dignum Clio mirabile viſu)
Condenſata ſuo calicem movet unda liquore,
Qui fundo vacuo curvum deflectit in orbem,
Et placidas conchæ præceps deſcendit in undas.
Forniceæ fluit unda tubo, teſtudinis inſtar,
Quæ Solis potis eſt radios arcere calentes,
Frigida protenſis præbens umbracula limphis,
Cernitur & tenui fibras finire tenore.
Inde undoſa novo vibratur fiſtula jactu,
Quæ globulum jactis ludens ſuſpendit in undis,
Et vario globulus motu volutante rotatus
Motas inter aquas vento parcente moratur,
Hæret & inſtabilis fluitanti culmine fixus.
Decipit incautos fallax tubus ore recurvo,
Adſtanteſque unda ſparſim fallente madeſcunt

Et

Et longo insequitur violentius imbre fugaces.
Ad fontem mea Musa veni, mirare fluentes
Lusus, & tremulas Clio mirare figuras.
Ne timeas castis pudibunda lavarier undis.
Hîc tua sit sedes, comitata sodalibus aude
Nil metuens agitare choros, hîc mitia, crede
Lætior auratis agitabis barbita plectris,
Et fortunatis fidibus Lyra pulsa sonabit
Clio Musa veni, caput exornante corona,
Lilia præ manibus gestans, nolique morari,
Deprecor, ista dies fontes habitare Gijanni
Te videat, prius Oceani descendat in undas
Quam Titan, Thetidos solita expectatus in aula
Hic labor unus erit, divis hæc cura Camœnis
Crinitoque Deo doctas inflare cicutas
Et pulsare chelin digito meliore sonantem:
Hîc non agresti cantabis arundine Clio,
Aurea nobilius tua dicet fistula carmen,
Festivâ motante manu, narrabis amica,
FRANCISCI meritas docto modulamine laudes
Præsulis, æthereos plaudens celebrabis amores;
Et vicina tuo resonantia concava versu
FRANCISCVM dicent, repetito carmine dicent.
Hîc dum sanguineas deflet Philomela querelas,
Audiet admirans, Præsul, te magne, canentem
Cantarique tuo semper lætabitur ore.
Læta dies natalis adest, mea Musa jocosis
Plausibus accurrit; *FRANCISCE*, precata salutem
Exoptatque tibi longos det Jupiter annos,
Nestoreosque dies, nullo vexante dolore


Fortia Parca trahat pretioso Licia filo:
Intextas numquam crudeli forcipe telas
Atropos abscindat, nisi te, *FRANCISCE*, volente
Incolumen pacata diu te numina servent
Dilectum populis; nostræ, *FRANCISCE*, saluti
Te servent, multis labantur tempora lustris.
Hos fontis lusus repetitos sæpe Gijanni
Annis & meritis videas, clarissime, plenus,
Quos tibi multiplices opto feliciter annos.



ICON MASSILIÆ A LAZARO CORDERIO I. V. DOCTORE CARMEN GRATVLATORIVM.

QVæ nova Phocæo surgit pictura colore?
Massiliæ quod surgit opus? placido-que labore
Fingere quis potuit vivisque animare figuris?
Quæ bene dispositis novit surgentibus umbris
Pingere gnara manus? digitisque ornare recessus
Mentitos, oculi spectantia lumina fixi
Fallentes? oculis ubi rura propinqua recedunt,
Decrescunt villæ? distantia compita nullis
Decrescunt summota viis á littore litus.
Hic nullum disjungit iter, disterminat arte

Pictor & insolito spectantibus injicit ausu
Massiliam. Veteremque novæ discrimine nullo
Conjungens, primo totam dat cernere visu.
Quidquid regna maris, graiûm telluris apertæ
Quidquid campus habent; quidquid mirabile, nobis
Hæc una hoc unum fateor dat dives imago
Picturis elata suis, parvaque Papyro
Ingeniosa jacent urbis compendia magnæ.
Est opus eximium multo laudabile versu,
Dignum authore suo, aspice Musa fatebere dignum
CORDERIO, dignumque tuo clamabis amore:
Excitat antiquos ritus calamoque fideli
Scrutatus tumulos, scriptis splendescere fecit.
Majorum revocat gratè monimenta tuorum,
Massilia; ignotas ausus penetrare rusinas
CORDERIVS doctâ rugis icone fugatis,
Annis plena tuis iterum juvenescere disces,
Præteritos iterum renovans feliciter annos:
Ipsa vetus, juvenem te te miraberis arte
CORDERII, jungens præsentia tempora lapsis
Fis nova, permixto veteri splendore, recenti.
Hæc non visa prius docto miracula debes
CORDERIO, lauros si non ingrata repende
Et fortunatis frontem præcinge coronis;
Redde vices meritas, facta es rediviva labore
CORDERII, ille tuo mansuro vivat honore,
Ille suis, vivetque tuis virtutibus ingens.



REVERENDO PATRI

IOANNI CABASSVT

CONGREG. ORAT. IESV PRESB.

ad suam notitiam. Hist. Concil. &c.

PROPEMPTICON.

PRiscorum monumenta Patrum, ritusque priores
Concilia & cætus, quibus inconcussa perenni
Imperio decreta manent; Ecclesia quales
Principibus mærens pœnas sit passa tyrannis
Doctum pandit opus, sceleratas hæresis artes
Detegit, & sontes fallenti crimine sectas,
Compositos mores, quæ corrupere prophanis
Moribus & diris agitarunt motibus orbem.
Magnum opus, ingenioque tuo nec viribus impar
Aggrederis, *REVERENDE PATER*, libroque sub uno
Magnarum ingeniosa facis compendia rerum,
Præteritis jungens præsentia sæcula sæclis.
Primævæ sacrata doces exordia gentis
Christiadæ, quantis sint incrementa triumphis
Facta suis, vario multis certamine victis
Hostibus & quanto fuerit sudata labore
Martyribus pariens dignas victoria lauros:
Quomodo vera fides, veteres caliginis umbras
Luce fugans falsis mentitos prodat honores,

Quos mentita diis, erectis reddidit aris
Vana superstitio; monstras quot templa quot ædes
Morte triumphali decertans Christus ademit
Dæmoniis, jussitque suis excedere terris,
Victa catenatos detrudens victor in orcos.
Quidquid divino sancitum est tempore Christi,
Quidquid Apostolico docta est Ecclesia cœtu,
Et quidquid Patres docuere sequentibus annis
Lector habes; operi juvat invigilare perito
Si longos fortasse velis breviare labores
Quos in mente parit studiosa cupido sciendi;
Pro multis liber unus, erit doctore sub uno
Attentus, poteris plures audire magistros.
De puro doctrina fluit purissima fonte
Quæ canonum diffundit opes, legesque sacratas
Explicat & quidquid sancti docuere coactis
Patres in synodis divino Pneumate pleni.
Est opus immensum quod multa volumina claudunt,
Hic liber unus habet; diffusa scientia miro
Ordine congeritur, suavi dulcedine lector
Illectus studio facili cognoscere gaudet,
Atque uno lustrare die lustranda per annos.
Posteritas leget hæc, sæclis mansura futuris
Teque Cabassutum veniens mirabitur ætas,
Facta tot ætatum libro clausisse priorum,
Et scriptis arctasse tuis tot sæcla tot annos.
Debetur tibi grandis honor, vigilique labori;
Sic desudatis docto cum fænore curis
Christiadum fies nulli non cognitus orbi.

In chartis stat fama tuis, fatoque superstes
Vivet & à nullo livescens clausa sepulchro.
Non defecturis inscribet nomina fastis
Clara Cabassuti; tantis Ecclesia plaudens
Thesauris ditata tuis, tibi dona rependet
Mutua, cælestes dum non ingrata coronas
Imponens capiti cælestibus inferet astris.

Nomen opusque tuum merito dignata favore
Servabit, nusquam immemori delenda veterno
Sed doctis miranda viris, quæ nulla tacebunt
Tempora, quæque legent homines dū sydera cœlis
Errabunt; dum sol lustrabit lumine mundum
Dumque soporifero pallescet Cynthia vultu.

BERULLUS
IN ALTARI MORIENS.
THUS ÆNIGMATICUM.

PRoponitur Eminentissimus Cardinalis Berullus in Altari, sacra dum peragit moriens & in tabula hæc exponenda depinguntur.

1. *Berullus.* 2. *Spinea corona.* 3. *Nomina Iesu & Mariæ.* 4. *Altare.* 5. *Cerei.* 6. *Calix.* 7. *Sacerdotes.* 8. *Missale.* 9. *Pulvinar.* 10. *Crucifixus.* 11. *Templum.* 12. *Nubes.* 13. *Imago Mariæ.* 14. *Imago Iesu.*

LActea vicinis num florent lilia campis?
Narcissi rapior nunquid nascentis odore
Aut hyacenthea redolent albedine rura?

Ingeniosa meos fallunt mendacia sensus
Iucundusque oculos picturæ decipit error,
Agnovi, patuere doli, fraudesque suaves,
Nasus odoratur, mutæ dant verba figuræ
Vocales sine voce, fugant ænigmatis umbras,
Et solvunt tacitæ: placidis caligo tenebris
condensata suis, picto radiata fugatur
Lumine & impliciti sensus interprete Musæ
Solvuntur genio: dives pictura, sabæum
Thus redolet gratosque procul dispergit odores.
Thus, non quod terræ gremio natura creavit
Sed finxit quod docta manus, non sole tumentis
Fœcundante datum felicia viscera terræ;
Clara sed ingenuo depinxit dextra labore.
Pallida Thus nobis Nabathæum ostendit imago,
Atque ementitum mentitâ parturit arte.
Thus damus accipite & depicto applaudite Thuri.
Quam bene Berulli sacra dum mysteria solvit
Thus latet effigie, culta morientis in ara!
Ignis amor flammis circum solemnibus ardens
Thus instar, casti absumit penetralia cordis
Sic consummatus pereundo numen adorat.
a 1. Thus rubet & croceo se permiscere colori
Cernitur, immixta confusum albedine nascens.
Pallet quod viridi gladius de cortice radit;
Dispersumque notis, miræ describitur unum
Naturæ ludentis opus, variisque figuris
Et totum pingui crescens sudore tumescit.
2. Inter odoratas mittit Panchaia tellus
a Plin. l. 12.

Thura vepres, latè hirsutis viventia dumis.

3. En Iesu matrisque piæ descripta leguntur
Nomina perpetuo dignissima Thuris honore;
Queîs consecrato fumant altaria Thure.

4. Araque votivo festiva calescit odore.

5. Cur castigatæ scintillat flamma tabellæ?
Fulget & aurato lux mendicata colore?
Caussam si nescis, audito carmine discas.
Thus flammæ impositum, divos delinit odore
Et tantùm ignita potuit placuisse ruina.

6. Turba Sacerdotum solemni libat acerram
Plenam Thure, Deo, sertisque recentibus halat.

b 7. Electis solùm decerpere thura Sabæis
Iam matura licet quos sacro nomine sacros
Gens Arabum vocitare solet; dextraque pudica
Et castâ truncis hærentia falce revoluunt.

c 8. Rex Iuba dimisit sinuosa volumina Cajo
Thuriferi depicta quibus surgebat imago
Stipitis & fracto nascentis cortice thuris.

9. Saccum aperi? spargetur odor spirantibus auris,
Et dispertito gaudens suffimine nasus
Hauriet emissos Thuris mulcentis odores.

10. Suspensum ligno conditur Thure cadaver
Et tanto tumuli fœtor purgatur odore.

11. Vnde coronato sacrata cacumine surgunt
Templa Deûm, solido muris splendentibus auro?
Marmore tecta nitent vastis subnixa columnis
Atque coloratis fulgent insculpta figuris?
Templo, Thuriferis adolescunt ignibus aræ;

b *Idem.* c *Idem.*

Thuraque dant homines & verba precātia templis.

12. Thus flammis periens, nubes emittit odoras,
Atque vaporifera abscondit caligne cœlos,
Turbine & undoso rutilos obnubilat ignes:
Nubila tolluntur longos imitata cylindros,
Fumosisque globis accensi lumina solis
Obscurat, gratoque tegit velamine cœlum.

d 13. Mortua Thuriferis ardet Poppea favillis
Ardet odoratis facibus mandante Nerone,
Vno qui tantum thuris consumpsit in igne
Quantum terra potest Arabis dare gentis in anno.

Leucotheæ si forte velis infausta cadentis
Fata dole, quæ facta irati victima patris
Conditur effossis terræ lachrymata latebris,
Vt moriens pœnas violati solvat honoris,
Et grave supplicium, Phœbi castigat amores
Illicitos, divumque nefas hac morte pietur:
Vnius sit pœna, scelus commune duobus,
Sed dolor amborum est: Phœbus revocare caloré
'Tentat, sed quoniam fatum conatibus obstat
'Nectare odorato sparsit corpusque locumque
'Multaque conquestus, tanges tamen æthera, dixit:
'Protinus imbutum cœlesti nectare corpus
'Delicuit, terramque suo madefecit odore
'Virgaque per glebas sensim radicibus actis
'Thurea surrexit, tumulumque cacumine rupit,
Vt tristi cecinit Romanus carmine vates.

e 14. Magnus Alexander totum qui terruit orbē
Milite vel famâ, juvenis dum dona ferebat


d *Ibidem c.* 18. e *Ovid, l.* 4 *Metam.*

Numinibus, manibus plenis ingentia semper
Thura cremanda dabis, nimioque altaria Thure
Arguitur complens dicente Leonide, plenis
Thura dabis manibus, victus si serviat armis
Dives Arabs, legesque tuas captivus adoret:
Tunc pia fœcundo fument altaria thure,
Grande triumphanti fiat libamen odoris;
Sed modò parce precor; Parco nunc munere cultû
Solve diis, reddas nondum vincentis honores;
Tunc victoris erunt; & nunc si copia thuris
Tanta datur, divis facies quæ munera victor?
Thurea dona tuis sint hæc servata triumphis.
Verba movent animum, elatis infixa medullis,
Vix bene maturis ætas jam creverat annis,
Prælia nil metuens animo Nabathea parabat:
Fit sperata suis præsens victoria votis,
Aggressusque Arabes armato milite vincit
Captivatque jugo: tunc navis thure redundans
Nobilior fit præda ducis, quæ missa Magistro
Prima triumphantis docuit præludia palmæ
Dona fuisse suæ, rogat hoc, unumque precatur
Ne det avara manus, sacris sed prodiga donis,
Nec defecturis cœlestes compleat aras,
Semper odoratis, & surgat fumus acerris.
Tanta decet dare thura jovi, suavique vapore
Inter victrices venerari numina lauros,
Mutua majori quæ munere munera pensant.
Falleris ah Clio, meliori voce loquaris
Musa precor, divoque canas insignia versu
Virginis & matris Iudææ facta sub oris.

Ecce Maria parens Christo quæ dedita nato,
Dum puer in cunis humanos volueret artus
Arbore thurifera pannos siccare madentes
(Historiæ ut monumenta docent antiqua) solebat.
Semper adorato veneremur thuris honore;
His tantus debetur honos, his thura litemus
Dignaque sacrifico credamus numina fumo



ALGERIUM
FVLMINATVM
REGI.



PIratas domitos debellatumque tumescens
ALGERIVM, æquoreis victor servire triumphis
Dum cogis LODOICE tuis celeberrima sæclis
Insolitæ virtutis erunt monimenta futuris.
Sacratis referens victricia Lilia dextris,
Blanditisque tibi volitans victoria pennis
Promissas offert victâ de gente coronas.
Stat manibus secura tuis, semperque vocata
Formidanda venit, pelagi domitura latrones.
Agnoscunt vires & ineluctabile robur

GALLORVM, fractique gravi ſub fulmine
lugent.
Plenus marte tuo, *TE MAGNVM* pontus
ovantem
Excipit, horrificas intentatura ruinas
Fulmina miratur; ſperat te principe belli
Hottomanæ nunquam ſociari cornua Lunæ.
Gens inimica Diis, Populoque inviſa fideli
Incurſans maria, & diris aſſueta rapinis
Multum fiſa ſibi, ridens homineſque Deoſque,
Chriſtiadum raptâ gaudens diteſcere merce,
Aula eſt juratum *LODOICO* frangere fœdus;
Non impunito violati fœderis auſu,
Vltrices tanti ſceleris temeraria pœnas
Solvit & invictæ ſit quanta potentia claſſis
GALLORVM, propriis didicit tumulata ruinis.
Tormenta armabant erectas bellica moles,
ALGERII tuitura ſinus; minitantia cædes
Inſtrumenta parant, vanâ reboantia glande,
Et fruſtrà tremulos evibratura fragores:
Invictus nullâ quatitur formidine *GALLVS*,
Audet & intrepidus caput objectare periclis,
Neglectæ jaculata inter diſcrimina vitæ,
Præteritis quærens lauros annectere lauris,
Inſultatque neci, ignitis evertere tentans
ALGERIVM globulis, terræque æquare Penates,
Aut inter palmas generosâ morte perire.
Vota placent Superis; Neptunus temperat
æquor
Iupiter arridens cœli convexa ſerenat,

Expugnaturi veniunt ad classica divi.
Classe potens *ESTREUS* adest, tunc fulmina misit
Fulguribus fœcunda novis spargentia mortes.
Bellica terribiles vomuere tonitrua flammas:
Dum tormenta boant, flammatis imbribus æther
Ardescit, rutilâ tegitur caligine cœlum;
Ignivomis & sulphureis crepitantibus ollis
ALGERIUM rogus est; flammis undantibus urbem,
Certam nemo sibi potis est sperare salutem:
Mortis ubique metus, ruituras deserit ædes
Ille suas, celerique fugâ sibi consulit alter.
It clamor cœlo, gemitus hinc sydera pulsant,
Hinc lachrymæ, hinc planctus, pavidam hinc lamenta per urbem
Insperata timent miseræ dispendia vitæ
Quique suæ, casus inter flammasque ruentes.
Vndique formido, fatales vindicis iras
Horrent *LUDOICI*: discant incendia passi,
Nunquam magnanimos impunè lacessere *GALLOS*,

CHRONODISTICON.

aLgerIVM sensIt qVID possInt robora gaLLI,
& præstans VIrtVs: Igne rVente rVIt.

MDLLLVVVVVVIII IIIII. 1688.



PECCATVM ORIGINIS.

NOs ſcelerata reos fecit natura parentis,
Occidit gignendo ſuos, mortemque paravit
Dum vitam; clauſi materno in carcere, pœnas
Criminis innati patimur, nondumque capaces
Virtutum, ſimus ſceleris: nos ante nocentes
Quàm nati; crimen tantum neſcitur, & angit
Naſcentes animas, ignoto crimine ſontes.
Heu crimen quam grande fuit! delere peractum
Quod potuit non unus homo, per mille labores
Iactatus, ſimili pœnâ damnanda nepotum
Progenies ventura fuit, turpiſſima naſcens
Patre venenato, toti contagia mundo
Qui naſcet ſceleris; fundens cum crimine vitam.
Hinc famis, hinc belli, hinc funeſtæ mortis origo,
Hinc rixæ, hinc odium, tempeſtatumque furores,
Hinc devaſtantis violenti grandinis imbres,
Formidata micant irato hinc fulgura cœlo,
Hinc vibrata ruunt trepidanti fulmina terræ,
Hinc morbi, hinc cædes, hinc ſunt incommoda vitæ,
Hinc labor hinc luctus, hinc curæ, jurgia, lites.
Nativum ſcelus, omne malum; nam crimine in uno
Cuncta latent; ſcelerum ſemen, grave crimen Adami.

Naſcimur, & primo corruptæ in limine vitæ
Teſtamur miſeri læſos nos crimine naſci,
Dum damus ingentes lacrymas, ſuſpiria, planctus.
Supplicium fit vita homini, nam plena labore,
Et dominos ſervis, & ſervos Regibus æquat,
Cum non diſſimili naſcentes crimine torquet,
Et paribus vexat nullo diſcrimine pœnis.
Vive memor ſceleris, pœnâ percuſſus adora
Vltricis pia tela manus, te crede nocentem
Suppliciis natum, te natum crede dolori.
Te ſubmitte Deo, nullis rationibus urge,
Quomodò nec quæras alieno in crimine pecces,
Et tua cur fuerit peccans aliena voluntas.
Hoc doceat te ſola fides, te vita diurnis
Divexata malis tantiſque arctata periclis;
Et lacrymis incepta tuis; non criminis expers
Vive per innumeros afflicto corde labores.
Degeneris dum grande ſcelus te terret Adami,
Et te Tartareo cruciandum credis in igne,
Captivumque putas, natum fallentis iniquo
Dæmonis imperio, & victum infelicibus armis,
Aſpice victoris ligno pendentia noſtri
Membra Dei, victrice ſuâ qui morte triumphat,
Extinguens Erebi diffuſo ſanguine flammas,
Cœlorum tibi pandit iter: victore ſub iſto
Pugnans ne timeas, vincentem dæmona vincens
Victus Victor eris, mutabis vincula lauris,
Te vinclis damnat peccantis crimen Adami,
Sanguine te redimit ſalvantis Gratia Chriſti.


PALLAS ELOQVENS.

SCAZON.

ANimos rebelles arte deprimit grata;
Damnat nocentes & gravat reos pœnis.
Periclitantis tutus est viri portus,
Titillat aures, concitam rapit mentem
Vrbes tuetur, vincit & potens bello.
Verbis triumphat, pugnat eloquens verbo;
Depressa nunquam semper & sibi victrix
Blanditur, audax ridet impetus Martis
Circumstrepentis despicit Iovis fulmen
Spernitque fluctus æquoris procellosos,
Truces ferarum blanda mitigat motus.
Sermone lenit grande montium pondus,
Cogitque gressus, arbores movet sede
Animatque lapides, voce syderum cursus
Moratur, homines docta placat iratos
Cœtus Deorum lepida plausibus complet:
Hæc sola, terris & potens polo regnat.
Hæc sola ponti vindicat sibi regnum.
Vbique regnat, ubique fortis & verbo:
Iovis cerebro nata dicitur magni,
Armata ferro, lanceam manu gestans,
Clypeum lacerto, cassidem gerens fronti
Thorace totum cincta pectus ærato,
Splendens cothurnis, tela deferens circum
Suspensa lævum fronte bellica terrens;
Vultu minaci grata, gratiis pleno:

Pulchra

Pulchra & timenda, Domino pacis & belli
Imposuit altum Palladis sibi nomen.
Hæc vulneravit prælio ferum Martem,
Partes tuendo Dardanûm urbis afflictæ
Vincit triumphat, dirus hostium terror.
Sermone Marcus Patriæ tegit muros
Periclitantem voce curiam servat
Facundiori, sceptra Regibus tollit,
Redditque sedes; languidis manus præbet
Et blandiori voce roborans firmat.
Cruore fuso bella comprimunt hostes
Cruore nullo detonans domat Pallas,
Sermone tantum; diva præsidens cœlo,
Et orta divis, mentis occupat nostræ
Arcana, cœli splendor & decus terræ.



QUædam carmina ab aliis Gallicè composita Latinè reddere mihi arrisit. Ethicam Christianam ab illustri acceptam viro & commendatissimo, de verbo ad verbum, ex Gallico Latinè scrupulosè transtuli, In Poëmate Peponis DE SAINT AMANT, scurriles quosdam versus & obscœnitatem redolentes asteriscis notatos omisi. Nobilissimi autem Domini Abbatis DE GARNIER eximii Musarum alumni, capto Philippo-Burgo, Serenissimo Delphino victoriam gratulantis, Gallicum carmen, donavi latinitate si non felici successu saltem obsequentissimo cordis affectu.

LES MYSTERES ABREGEZ DE LA GRACE DE NOSTRE SEIGNEVR IESVS-CHRIST ET DE LA MORALE CHRETIENNE.

La raison eût reglé toutes tes actions,
Si tu n'étois déchû de l'état d'innocence:
Mais maintenant soumise à la concupiscence,
Elle court insensée apres tes passions.
Lors que la Charité regnera dans ton cœur,
Ta raison reprendra sa liberté premiere:
La grace en te donnant la force & la lumiere,
D'esclave du peché te rendra son vainqueur.
Dieu fait par un effort digne de son pouvoir
Que sans necessité tu concours à ses graces:
Il opere dans toy ce qu'il veut que tu fasses,
Et tu veux librement ce qu'il te fait vouloir.
Il dispose de tout selon sa volonté,
En tout il fait agir sa supreme sagesse:
Il sauve qui le suit, il damne qui le laisse,
Celuy-cy par justice, & l'autre par bonté.
La seule Charité sert de marque au Chrétien,
Et le fait discerner d'avec que l'Infidelle:
Celuy qui peut l'avoir possede tout en elle,
Et quoy qu'il ait sans elle il ne possede rien.



MYSTERIA ABBREVIATA GRATIÆ DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, ET ETHICÆ CHRISTIANÆ.

LATINE REDDITA.

SVſceptos ratio geſſiſſet pura labores,
Innocuo niſi te, crimen ſpoliaſſet honore;
At nunc imperio ſubmiſſa cupidinis, amens
Carnis ad effrænos audet diſcurrere motus.
Cum divinus amor cordi regnabit amico,
Diſruptis ratio tua fiet libera vinclis:
Lumen & invictum donans tibi Gratia robur,
Peccatum vincet ſub quo victore gemebas.
Hoc facit alliciens animos divina poteſtas,
Vt nullo cogente movens te Gratia ducat,
Et facias quodcumque velit, gaudenſque ſequaris,
Vis liber quæcumque facit te velle paratum.
Omnia diſponit victrix æterna voluntas,
Cuncta regit juſtè vigilans ſapientia, legi
Salvat ſubmiſſos, damnat præcepta peroſos,
Damnat jure iſtos, hos ſolo ſalvat amore.
Chriſtigenæ ſincerus amor ſit nobile ſignum,
Amovet infidâ ſancto diſcrimine gente:
Cuncta tenet divum qui poſſidet unus amorem,
Nulla tenet qui cuncta tenet privatus amore,

Quand on dit que tout homme en tout temps en tout lieu,
Peut entrer dans le Ciel, entens de quelle ſorte :
Il le peut par la foy, puis qu'elle en eſt la porte,
Mais on ne l'acquiert pas, elle eſt un don de Dieu.

Dieu juſte punira d'un ſupplice eternel,
Celuy qui ſemble ſage, & qui meurt infidelle;
Son ignorance ſuit la coulpe originelle,
Et loin de l'excuſer, le rend plus criminel.

Depuis que Dieu fait homme a ſouffert le trépas,
C'eſt en luy ſeulement que les hommes renaiſſent :
Il connoit ſes brebis, ſes brebis le connoiſſent,
Et celuy n'en eſt point qui ne le connoit pas.

En vain il eſt inſtruit, ſi ſon cœur n'eſt touché,
Les ſecours de dehors ne luy feront rien faire :
Tout eſclave qu'il eſt, ſa chûte eſt volontaire,
Par impuiſſance il peche en peine du peché.

Quand il plait au Seigneur l'appeller à la foy,
Il luy donne une grace aux ſaints Fonts du Baptéme;
Qui de luy dedans luy fait un autre luy méme,
Pour connétre, vouloir, & parfaire la Loy.

La Grace du Seigneur qu'il trouve dedans l'eau
En briſant ſes liens luy rend ſon innocence,
Laiſſant pour l'exercer cette concupiſcence
Qui vit, mais ſans regner, dans un homme nouveau.

Mets toûjours en Dieu ſeul ta gloire & ton appuy,
En tout pour le ſalut ſa grace eſt neceſſaire :
C'eſt luy qui fait penſer, & vouloir, & parfaire,
Tu ne peus rien en toy, tu pourras tout en luy.

Il eſt bon quelquefois que tu ne puiſſes rien,

Omni quando loco vel tempore dicitur omni
Scandere posse hominem optati penetralia cœli;
Accipe sic, si porta, fides sit vera polorum,
Quæ datur haud meritis, sed quæ descendit ab
alto.
Hunc Deus æterno justus cruciabit in igne
Qui mentitâ obiit sapientis imagine falsus:
Ignorare fidem scelerato traxit ab ortu,
Non tamen excusat. sceleris majoris origo est.
Ex quo factus homo Deus est tormenta cruentæ
Passus dira necis, rursum nascuntur in illo
Mortales, agnoscit oves. agnoscitur illis,
Non ovis est, quisquis pastoris nescit ovile.
Nil prodest docuisse hominẽ non pectore moto
Nil facit externo auxilio, propriâque ruinâ
Captivus cecidit miserè, delinquit iniquè
Infirmus, sceleris scelus est justissima pœna.
Dum Deus hunc fidei vult ad pia dona vocare,
Gratia casta datur mediis Baptismatis undis,
Quæ facit ex se in se ut sit felix alter & idem,
Et noscat, velit, & peragat data dogmata legis.
Gratia quæ Domini surgit vitalibus undis,
Vincula disrumpens insontes reddit honores;
Peccati fomes remanet virtutis ad actus,
Vivit non hominis regnans in corde renati.
Sit Deus auxilium tibi, sit tua gloria semper,
Non cœlum attinges cœli si gratia desit,
Dat versare animo, velle, atque absolvere rectum,
Quo sine nil poteris, poteris sed cuncta per illum.
Posse nihil quandoque bonum est dum plenius
ardes

Lors méme que tu sens plus d'ardeur à bien faire :
Dieu trouve en t'abaissant les moyens de se plaire,
Et ta confusion fait sa gloire & ton bien.
Quand Dieu te fait vouloir ton cœur est emporté
Par des attraits si doux que tu le suis sans peine :
Il est vrayment ton centre, & ta grace est la chaîne
Qui t'élevant dans luy te met en liberté
Tout ce qui n'est point Dieu ne te doit point charmer
Il faut pour l'acquerir mépriser toute chose :
Pour l'objet de ton cœur luy-méme se propose,
Et te donne en t'aimant le pouvoir de l'aimer.
Cet amour atteignant de l'un à l'autre bout
Avec force & douceur renverse la nature :
Il humilie un Dieu jusqu'à la creature,
Et porte le neant jusqu'à s'unir au Tout.
L'interest du Seigneur est preferable au tien,
Cherche par tout sa gloire au mépris de la tienne ;
Il fait la volonté de ceux qui font la sienne,
Il confond les esprits qui s'opposent au sien.
Tout état est commode à qui sert humblement,
Ne trouble point ton cœur de ce qui te peut nuire :
Reprime tes desirs & laisse toy conduire,
Pourveu que tu sois saint, que t'importe comment ?
Pour te frayer au Ciel un chemin assuré
Dépouille toy de haine & pardonne l'injure :
Dieu se regle sur toy, de la méme mesure
Que tu mesureras, tu seras mesuré.
Crains justement ton Dieu quand tu l'as irrité,
Parce qu'injustement tu l'as mis en colere :
Crains sa juste fureur, mais en craignant espere,

Laudandis etiam te totum impendere factis.
Te Deus abjecto, sibi multum complacet uni;
Laus Domino, tibi grande bonũ, confusio cordis.
Dumque Deus te velle facit, cor fertur amicis
Motibus, ut leges nullo cogente sequaris;
Est centrum cœleste tuum, tua Gratia vinclum;
Ad se quo tollit te, ut libertate fruaris.
Quicquid non Deus est, te non inflectere debet;
Omnibus abjectis tua sit possessio solus,
Vt sit cordis amor tibi se officiosior offert,
Dumque amat, alternos in te producit amores.
Hic Amor in finem attingens à fine supremus
Fortiter & blandè naturæ lege solutâ;
Deprimit humano divinum in corpore numen;
Et nihilum extollens novit conjungere toti.
Res Domini, propriis discas præponere rebus,
Contemptuque tuæ quæratur gloria Christi;
Si facias quodcumque volet, volet ipse quod optas;
Edomat audaces animos votisque rebelles.
Ærumnosa humili non sunt incommoda servo;
Cor non perturbent varii discrimina casus;
Motibus oppressis alter te ducat euntem;
Dummodo sis sanctus, ne quæras quomodò factus.
Vt trames patrio tutus pandatur olympo,
Omne odium depone priùs, depone querelas;
Quod facies, faciet: divinæ regula factus
Mensuræ, parcens facies tibi numen amicum.
Iure Deum timeas patrato crimine læsum,
Audax injustè justos animare furores:
Iratum timeas, sed spem conjunge timori,

Et change par l'espoir ta crainte en Charité.

C'est peu si tu n'agis que par crainte & par foy ;
Si comme un dernier bien tu te cherches toy-méme ,
Si tu crains le tourment comme ton mal extreme ,
Le plus grand des Demons croit & craint comme toy.

Dieu grave avec des traits qu'on ne peut effacer
La loy de son amour dans le fonds de ton étre :
Luy méme de l'aimer & de le reconnoitre ,
S'il ne t'aneantit , ne te peut dispenser.

Les Saints ont dans le Ciel cette necessité ,
Plus ils connoissent Dieu , plus l'amour les engage ;
Et cet amour en eux ne peut étre esclavage ,
Mais source de leur joye & de leur liberté.

Les damnez sont soumis à ce méme devoir ,
Chacun d'eux le ressent empreint dans son essence :
Mais la haine qu'ils ont jointe à leur impuissance
Les rend plus malheureux , & fait leur desespoir.

Choisis donc aujourd'huy ton établissement ,
De ce que tu voudras ta mort sera suivie :
Mais commance en la terre , & fais durant ta vie
Ce que tu dois au Ciel faire eternellement.

Et timor in divum per ſpem mutetur amorem.
Pauca facis, ſi parva fides ſociata timori
Te moveat, finale bonum ſi te ipſe requiras,
Extremumque malum crucians ſi pœna putetur;
Hoc timet infrendens Satanas, hoc credit & ardet.
Magnus inexpunctis Deus imo in pectore ſignis
Non defecturi leges inſculpit amoris;
Ne noſcas, ne ſemper ames nequit ipſe vetare,
Nì cogat nihili ad primas deſcendere ſedes.
Cælicolæ unanimes immotâ hac lege tenentur,
Cùm magis agnoſcunt, magis innectuntur amore:
Servitium non hic amor eſt, non ſerva voluntas,
Lætitiæ cauſa eſt, & libertatis origo.
Lex eadem in medio damnatos obligat igne,
Nulli ignoratur miſeris impreſſa medullis;
Sed miſtum non poſſe odio, fit majus in antris
Supplicium; hinc rabies & deſperatio creſcit.
Elige quid cupias vitæ dum veſceris aurâ,
Mors tua velle tuum non expectata ſequetur;
Incipe ſed terris, & fac dum vita ſuperſtes,
Quod ſemper facies nunquam moriturus in aſtris.

LE MELON

PAR MONSIEVR DE SAINT AMANT.

QVelle odeur sens-je en cette chambre ?
Quel doux parfum de musc & d'ambre
Me vient le cerveau réjouïr,
Et tout le cœur épanouïr ?
Ah bon Dieu ! j'en tombe en extase,
Ces belles fleurs qui dans ce vase,
Parent le haut de ce buffet,
Feroient elles bien cet effet ?
A-t'on brûlé de la pastille,
N'est-ce point ce vin qui petille
Dans ce christal que l'art humain,
A fait pour couronner la main ?
Et d'où sort quand on en veut boire
Vn air de framboise à la gloire,
Du bon terroir qui l'a porté,
Pour nôtre eternelle santé.
Non ce n'est rien d'entre ces choses
Mon penser que tu me proposes,
Qu'est-ce donc ? je l'ay découvert
Dans ce panier remply de vert,
C'est un Melon où la nature
Par une admirable structure
A voulu graver à l'entour
Mille plaisans chiffres d'amour

IDEM
EX GALLICO
D. DE SAINT AMANT.

QVem jucunda domus gratum diffundit odorem?
Quis Moſchi, electrique meam ſuffitus amœni
Exhilarat mentem, & læti penetralia cordis
Dilatat ſuavique trahit dulcedine pectus?
Heu numen me tantus odor rapit omine fauſto!
Num flores qui vaſa novi compreſſa coronant
Et decorata parant variis armaria ſertis
Bxhalant placidum tanti ſuffimen odoris?
Num movet accenſo paſtillus in igne vaporem?
Num trepidans vinum cryſtallina vaſa coronans,
Ars finxit quæ docta viri ſolerte figurâ
Ambitura manum, & dextram ornatura bibentis?
Ex quibus emittit, bibituris aëra ſucco
Ambroſiæ mixtum magna cum laude feracis
Quod geſſit ruris, ſano pro corporis uſu.
Non non mens erras falſa ſub imagine rerum
Quas mihi proponis, vanâ deluderis arte.
Quid tamen? agnovi, calatho viridantibus herbis
Turgenti *MELO* recubat, natura peritis
Ingenioſa modis, ludens deſcripſit amorum
Docta coloratis circum quem mille figuris.

Pour claire marque à tout le monde
Que d'une amitié ſans ſeconde
Elle cherit ce doux manger,
Et que d'un ſoucy menager
Travaillant au bien de la terre
Dans ce beau fruit ſeul elle enſerre
Toutes les aimables vertus
Dont les autres ſont revétus.
Baillez le moy je vous en prie
Que j'en commette idolatrie.
O quelle odeur ! qu'il eſt peſant
Et qu'il me charme en le baiſant !
Page, un couteau que je l'entame,
Mais qu'auparavant on reclame
Par des ſoins aux devoirs inſtruits
Pomone qui preſide aux fruits,
Afin qu'au gouſt il ſe rencontre
Auſſi bon qu'il a bonne montre,
Et qu'on ne trouve point en luy
Les défauts des gens d'aujourd'huy.
Nôtre priere eſt exaucée
Elle a reconnu ma penſée;
C'en eſt fait le voila coupé
Et mon eſpoir n'eſt point trompé.
O Dieux que l'éclat qu'il me lance
M'en confirme bien l'excellence !
Qui vit jamais un ſi beau teint ?
D'un jaune ſanguin il ſe peint :
Il eſt maſſif juſques au centre
Il a peu de grains dans le ventre

Omnibus ut signum securi reddat amoris
Hunc adamasse cibum ; studiis , nullique secundo
Affectu fovisse pari , dum tentat agrestem
Assiduo terram fœcundatura labore
Hoc in dilecto totas includere fructu
Provida virtutes aliorum , munere grato.
Vos date vos rogito , mihi fit venerabile numen
Qualis odor ? gravitat condensus pondere quanto !
Quam me delectat dum blanda suavia figo.
Da gladium cito serve , mihi quo findere possim ;
Sed prius augustis resonet concentibus æther ,
Vocibus & meritis fundamus vota , precesque
Vt modo frugiferis quæ rustica præsidet aruis
Sit Pomona favens , ut aperto gustus adæquet
Eximii varias descripti corticis umbras
Nec sit in hoc hominum corrupti temporis error.
Favit & arrisit precibus , mentemque rogata
Novit & auditis fit nostris prospera votis
Actum est concidi , nec me spes vana fefellit.
O dii , vibratus quæ sit præstantia , fulgor
Denotat , aspexit quis vestrûm pulchrius usquam ?
Purpureus rutilat , rufo variante colore ,
Sanguineusque rubet solidatus corpore toto.
Plurima non defert splendenti grana sub alvo
Et quæ pauca licet tot grana esse aurea credo.
Est siccus , cortex tenuis , sed principe dignus ,
Et quamvis non sim mihi prandia lauta parabit.

Et ce peu là je pense encor
Que ce soient autant de grains d'or
Il est sec son écorce est mince
Bref, c'est un vray manger de Prince :
Mais bien que je ne le sois pas
I'en feray pourtant un repas.
Ha! soutenez-moy je me pâme
Ce morceau me chatoüille l'ame,
Il rend une douce liqueur
Qui me va confire le cœur.
Mon appetit se rassasie
De pure & nouvelle ambroisie,
Et mes sens par le goût seduits
Au nombre d'un sont tous reduits.
Non le Cocos fruict delectable,
Qui luy tout seul fournit la table
De tous les mets que le desir
Puisse imaginer & choisir
. . . . -
. . . .
Ny ce qu'on tire des roseaux
Que Crete nourrit dans ses eaux,
Ni le cher Abricot que j'aime,
Ni la fraise avec la Creme,
Ni la Manne qui vient du Ciel,
Ni le pur aliment du Miel,
Ni la Poire de Tours sacrée,
Ni la verte Figue sucrée,
Ni la Prune au jus delicat,
Ni méme le Raisin muscat

Ah corpus fulcite meum, mens deficit, ecce
Hoc animam frustum gustu titillat amæno.
Exprimit effusum felici sorte liquorem
Qui mea condito suffundet corda sapore
Ambrosiaque fames sedatur longa recenti]
Delusi & sensus gustu coguntur in unum.
Non Coccos quamvis placidi sit fructus odoris
Et mensam radians illustrem solus adornet
Innumeris dapibus quas mens inquirere possit.
Extrahitur gratum nec quidquid arundine dulci,
Immenso quam Creta lacu, nutritque palude
Nec mihi chara nimis quæ diligo persica multum;
Irriguo lactis nec mollia fraga cremore;
Nec quoque delapsum celso de sydere manna;
Nec quod mel purum favus distillat ab alveo.
Nec Turonensi pyra quæ nascuntur in agro
Nec virides ficus suavi lanugine pingues
Nec pariter prunum mellito jure madescens
Nec radians calido muscatus sole racemus
(Nostris insoliti sermones faucibus oris)
Hæc inamæna puto cœnoque minora videntur
Divino *PEPONI* si tu conferre peroptes,
Est qui ruris honos Andini & gloria campi,
Quid tamen Andinum dico? deludor inanis
Fructus adest Musæ sacratis natus in hortis,
Fructus conspicuo Parnassi vertice cretus
Sympha Hypocrenes fluvii serpente rigatus;
Montis, numinibus qui tales ubere defert
Producens gremio, mira dulcedine fructus

(Parole pour moy bien étrange)
Ne sont qu'amertume & que fange ,
Au prix de ce MELON divin
Honneur du climat Angevin.
Que dis-je d'Anjou ? je m'abuse ,
C'est un fruit du crû de ma Muse ,
Vn fruit de Parnasse élevé
De l'eau d'Hypocrene abreuvé ,
Mont qui pour les seuls Dieux raporte
D'excellens fruits de cette sorte ,
Pour étre proches du Soleil
D'où leur vient ce goust nompareil ,
Car il ne seroit pas croyable
Qu'un lieu commun quoy qu'agreable
Eût pû produire ainsi pour nous
Rien de si bon ni de si doux.
O vive source de lumiere !
Toy dont la route coutumiere
Illumine tout l'Vnivers ?
Phœbus Dieu des fruits & des vers
Qui tout vois & qui tout embrasses ,
Icy je te rends humbles graces
D'un cœur a'ingratitude exempt
De nous avoir fait ce present ,
Et veux pour quelque recompense
Dire en ce lieu ce que je pense ,
Et de ce Melon & de toy
Suivant les signes que j'en voy ,
Mais que tandis ô chere troupe
Chacun laiße en repos la coupe ,

Cum

Cum fortunato lustretur lumine Solis,
Queîs gustus hilares tantosque infundit odores.
Attamen imprudens nimium quis credere posset
Tellurem assiduo communi vomere scissam,
Iucundam quamvis nostro potuisse sapori
Nil melius fractis nec gignere dulcius aruis.
  Lucis principium solito qui tramite currens
Illustras totum radianti lampade mundum,
Phœbe potens, fruguinque parens & carminis
    author
Cuncta videns & qui complecteris omnia Phœbe
Fundimus hic meritas sincero pectore grates;
Ingratâ nec mente tibi pro munere tanto,
Et cupimus doni quadam mercede recepti,
Quid nos credamus de te Peponisque sapore
Gratius externis compulsi dicere signis.
Sed dilecta prius sociorum turma meorum,
Quisque coronato deponat pocula vino,
Nam quæ fœcundo sublimia carmine dicam
Sunt digna auditu, mentes advertite vestras.
  Fulmineis postquàm telis & vindice dextra
Iupiter orcigenas cel!o prostrasset ab axe
Et defessa gravi rediissent numina bello
Quo pan pellitas manuum pugnando vaginas
Perdidit & maculata gemens collaria Phœbus,
Vnam Mars crepidam, manicam Tritonia pallas
Argentum Alcides fundæ pandentis hiatu,
Mercurius ligulam cruralem, cingula Bacchus
Ad fera præcipiti cum prælia mente ruissent.
Post inquam pugnas, tumidæ quibus auris asellus

Car ce que je vous vay chanter
Vaut bien qu'on daigne l'écouter.
Apres que Iupiter avecque son tonnerre
Eut fait la petarrade aux enfans de la terre,
Et que les Dieux lassez revindrent du combat,
Où Pan perdit ses gans, Apollon son rabat,
Mars l'un de ses souliers, Pallas une manchete;
Hercule par un trou l'argent de sa pochete,
Mercure une jarretiere, & Bacchus son cordon
Pour s'être dans les coups jettez à l'abandon.
Apres dis-je ce choq, où l'asne de Silene,
Aux plus mauvais garçons fit enfin perdre halene
Par l'extreme frayeur que sa voix leur donna,
De quoy le Ciel fremit & l'Enfer bourdonna.
On dit qu'il fut conclu qu'en signe de victoire
Tout le reste du jour se passeroit à boire,
Et que chacun d'entr'eux fournissant au banquet
Apporteroit son mets troussé comme un paquet.
Soudain de tous costez sur l'Olympe se virent,
Plats de-çà, plats de-là que des Nymphes servirent,
Le bras nud jusqu'au coude, & le sein decouvert,
Orné de quelque fleur avec un peu de vert.
Ce Dieu qui des premiers authorisa l'inceste,
Devant qui les plus grands de la troupe Celeste,
Plus petis que Cirons de peur de le facher
N'oseroient seulement ni tousser, ni cracher,
L'audacieux Iuppin pour commencer la danse,
Et presenter à l'œil de quoy remplir la pance,
Fit apporter pour soy dans un bassin de prix
Quantité de gibier que son Aigle avoit pris.

Sileni gradiens, formidine corda gygantum ,
Rudenti clamore ſuo compreſſit , Olympus
Quo fremuit, gemuit taciturno & murmure
lethes
Dicitur in ſignum , divos ſtatuiſſe triumphi ,
Pars reliqua ut lucis ſatiaret membra falerno ;
Læta coronarent & vino pocula dextras ;
Sacra paraturus quiſquis convivia cœlo ,
Collectos veluti deferret fercula faſces.
Tunc illinc iſtinc ſub vertice montis Olympi,
Ex utraque graves cernuntur parte catini ,
Nympharum quos turma gerit nudata lacertos
Et nudata ſinus viridanti flore decoros.
Hoc primum cœleſte fuit quod numen adulter
Cujus in aſpectu majoris numina fortis
Pulicibus depreſſa magis , ne forte moleſtent
Spumoſam cohibent compreſſo pectore tuſſim
Iupiter ut celebri primus convivia faſtu
Inciperet ventrique dapes apponeret aptas
Imperat in pelui gemmis ſplendente ferinas
Deferri carnes rapuit quas ales in agro.
Quam gravis audaces plauſtro Saturnia ceruſ ,
Alituum ſedem dubium ſuper aera ducunt
Accipit ortoleas volucres quas obtulit Iris
Præ manibus geſtans tumidas pinguedine craſſa
Quæ guſtum irritant , invitantque ora paratis
Dentibus, & prompto calidas infringere morſu ,
Dum gratus vibratur odor quem naſus hiatu
Abſorbet patulo , fumumque exhaurit odorum.
At Bacchus pinxit cujus potatio natum

La superbe Iunon qui dans une charrete,
Que des Fans sont rouler fait souvent sa retraite
En l'Empire incertain des animaux volans,
Prit de la main d'Iris un bouquet d'Ortolans,
Qui fleurissoit de graisse & convioit la bouche
A luy donner des dents une prompte escarmouche,
Durant qu'il étoit chaud & qu'il s'en exhaloit,
Vn gracieux parfum que le neZ avaloit.
Le Compere Denis a la troigne vermeille,
Qui veut toûjours chiffler méme quand il sommeille,
Rendant de son pouvoir Ganimede ébahy,
Voulut que le Nectar fit place au vin d'Ay,
Dont il fit apporter par ses folles Menades,
Qui faisoient en hurlant mille pantalonades,
Cinquante gros flaccons remplis jusques aux bords,
Pour le plaisir de l'ame & pour le bien du corps.
La Deesse des Fours, des Moulins & des Plaines,
Où l'œil du bon Pitaut voit l'espoir de ses peines,
Celle qui s'éclairant de deux flambeaux de pin
A force de trotter usa maint escarpin,
En cherchant nuit & jour la Donzelle ravie,
Cerez au crin doré le soutien de la vie,
Munit les assistans au lieu de pain molet,
De biscuits à l'eau rose & de gâteaux au lait.
Celuy qui sur la Mer impetueuse & fiere
En son humide main porte une fourche fiere,
Dont il rosse les flots quand ils sont les mutins,
Excitez par les vents qui sont de vrais Lutins,
Fit servir devant soy par la fille de chambre
De Madame Thetis un plat d'huistres à l'Ambre,

Qui vigilans & nocte jacent dum membra cubili,
Haustu perpetuo vinum sorbere peroptat,
Quod stupet admirans Ganimedes pupa tonantis
Nectareo latici gaudens aniense falernum
Præposuit, gestant agitantes membra figuris
Menades horrisicis, stultis cum vocibus errant
Viginti inclusum plenis bis quinque lagenis
Vt mens lætetur, fiant & corpora sana.
Diva potens furno pistrino & grandibus aruis,
In quibus est miseri spes annua tota coloni,
Hæc Dea quæ tædis sibi noctu lumina præbens
Multiplices solcas errans gemebunda per orbem
Consumpsit quærens noctuque diuque puellam
Inferni ad thalamos tenebroso principe raptam,
Flava Ceres vitæ nutrix aurata capillos
Non tenerum panem divis adstantibus offert
Sed præbet roseis biscoctum gratior undis
Præbet & in donum dulces cum lacte placentas.
Quique manu madida Neptunus sustinet audax
Æquore sub vasto, concessum sorte tridentem
Quo cohibet fluctus quatientes aera ventis
Apponi mensis sibi primum succina jussit
Ostrea, cœlestem famula gestante catinum
Matronæ Thetidis, quæ degustata sub undis
Attulerat Triton scopulis avulsa natatu.
Incola sylvarum cornuta fronte Diana
Ingeniosa dolis, saltus indagine cingens,
Alitibus brutisque ferox molita ruinam
Assatum afferri damam jubet, allia circum
Apposita exacuunt gustum cum jure suavi.

Que l'un de ses Tritons, non pas sans en gouter,
Du fond de l'Ocean luy venoit d'apporter.
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

Diane au front cornu de qui l'humeur sauvage
Ne se plaist qu'aux forests à faire du ravage,
Fit mettre sur la table un Fan de dain roty,
Que d'une sauce à l'ail on avoit assorty.
Le Forgeur écloppé qui fait son domicile
Parmy les pets flambans que lâche la Sicile,
Ce beau fils qui se farde avec que du charbon,
Fit porter par Sterope un monstrueux jambom,
Et six langues de bœuf qui depuis mainte année
En grand pontificat ornoient la cheminée
Où tout expressement. . . . .
Les avoit fait fumer pour donner à Bacchus
. . . .
. . . .
Venus . . . .
Sçachant que ses pigeons avoient fait des petis.
En fit faire un paté que la grosse Eufrosine
Qui se connoit des mieux à ruer en cuisine,
Elle méme apporta plein de culs d'artichaud.
. . . .

Le Bouc qui contraignit la Nymphe des quenoüilles
De se precipiter dans les bras des Grenoüilles,
Pour sauver son honneur qu'il vouloit escroquer,
En l'ardeur où l'amour l'étoit venu piquer.:

Mulciber ignitus confracto crure vacillans
Flammatos habitans crepitus, Trinacria motu
Quos rapido vibrare ſolet, flatuque voraci;
Filius hic pulcher decorans carbonibus ora
Mandavit pernam ſteropi deferre miniſtro,
Sexque boum linguas, quæ multo tempore penſæ
Ferratum ornabant ſicco ſplendore caminum
Quas infumarat Baccho ceſſurus amico.
Blanda Venus diſcens fœtus peperiſſe palumbes
Ex his ut fierent teneris farcimina juſſit;
Quæ tulit expertis opulentæ docta culinæ
Artibus Euphroſine, ſcolymis diſperſa paratis.
Hircus qui Nympham compreſſus amore coegit
Se dare præcipitem violento in flumina ſaltu.
Virgineum rapidus tentans auferre pudorem,
Pan Deus edocuit paſtorum inflare cicutam
Qui prior Arcadiæ dum lætus arundine ludit
Neglectis quem lenta toris armenta ſequuntur,
Lactenti Agnello ditat convivia divûm
Quem prius inſecto voluit deſcribere lardo,
Quem canis horribili ſervavit ab ungue luporum:
Et cœnoſa vetus, certamina mente rebelli
Formidatorum fuerit diis viſa ſupremis
Titanum foviſſe favens terrena Cybele
Quos tamen audaci mentitos voce fuiſſe
Dixit, Phlegreos ſaltus à parte ſiniſtra
Delinquens ut ſancta parens & amica Deorum
Adfuit exoptans tumulentæ accumbere menſæ;
Attulit & fungos, baculo ſuffulta, recentes;

Pàn le Roy des Flusteurs, de qui dans l'Arcadie
Le troupeau des brebis suivant la melodie,
Honora le festin d'un agneau bien lardé,
Que des pates du loup son chien avoit gardé.
Et bien que l'on eût cru qu'en cet acte rebelle
Ca vieille . . . . la terrestre Cybelle
Des orgueilleux Geans eût tenu le party
Auquel en demeura pourtant le demanti,
Elle ne laissa pas quittant Phlegre à main gauche,
Comme mere des Dieux d'étre de la débauche,
Et de leur apporter, se traînant au bâton.
Des champignons nouveaux cuits au jus de mouton.
Le Seignenr des jardins que les herbes reverent;
Et Vertumne & Pomone ensemble s'y trouverent,
D'asperges, de pois vers, de salades pourveus.
Et des plus rares fruits que jamais on eût veus.
Bref, nul en ce banquet hormis le vieux Saturne,
Qui flatté d'un espoir sanglant & taciturne
Du complot de Tryphon avoit été l'autheur,
Nul, dis-je, hormis de Mars le grand gladiateur,
Nul hormis le Thebain qui charge son épaule
D'un arbre tout entier en guise d'une gaule,
Nul hormis la pucelle aux doigts laborieux
Qui de ceux d'Arachné furent victorieux,
Et nul hormis Mercure en cette illustre bande
Ne vint sans apporter par maniere d'offrande
De qnoy faire ripaille ainsi que l'avoit dit
Celuy qui sur l'Olympe a le plus de credit.
Encore entre ceux-là l'histoire represente
Que si de rien fournir Minerve fut exempte,

Vervecis

Vervecis quos jure coqui curarat in igne.
Hortorum Dominus reverenter cultus ab herbis
Vertumnus, ridensque suis Pomona canistris
Lactucam, hasparagos, serpilla, virentia pisa
Fructusque insolitos adsunt in dona ferentes.
Nullus in hac cœna Saturnum præter edacem
Qui sibi blanditus Taciturna speque cruenta,
Seditionis erat quam Tryphon moverat author.
Nullus Mavortem præter qui præsidet armis,
Nullus Thebanum præter cui viminis instar
Arbor magna solet duros onerare lacertos:
Hanc nullus præter digitis quæ rite laborat
Vltaque quæ victrix percussam occidit Arachnem.
Nullus Mercurium præter socialis ad istam
Cœlestem conviva fuit sine munere mensam
Pinguia dona ferens comedenda ut jusserat ille
Majori virtute, sacro, qui regnat Olympo.
Sed tamen hos inter nobis ut fabula narrat
Nil licet attulerit pro munere diva Minerva
Quippe peroptasset cum mensam ornare mapellis
In quibus arguta descripserat arte figuras.
At bonus Alcides clavâ munitus in ædis
Limine stans jusso venientes lætus amicos
Suscipit heluelii barbati more severo.
Et qui suspensum lateri Mavortius ensem
Ferre solet minitans, animo bellante cruentus
Qui conflat tutidc obtusas incudeque vestes,
Stridentes cultros subigebat Cote rotanti;
Garrulus & placido vultu, facieque decora,

O

C'est pour l'amour du soin qu'elle voulut avoir
De mettre le couvert, où la belle fit voir
Mainte œuvre de sa main superbement tissue,
Que quand au bon Hercule avec que sa massue
C'est qu'il étoit alors pour garder ses amis
En qualité de Suisse à la porte commis.
Que quand au Furibon : au traîneur de rapiere
Au Soldat Thracien qui d'une ame guerriere
Employe à s'habiller enclumes & marteaux,
C'est qu'il eût le soucy d'éguiser les couteaux,
Et que pour le Causeur a la mine subtile
De qui la vigilence est aux festins utile,
Et qui n'entreprend rien dont il ne vienne à bout;
C'est qu'il s'étoit chargé de donner ordre à tout.
Et pour venir au point que je vous veux deduire,
Où je prie aux bons Dieux qu'ils me vueillent cõduire
Vous sçaurez Compagnons que parmi tant de mets
Qui furent les meilleurs qu'on mangera jamais,
Et parmi tant de fruits dont en cette assemblée
Au grand plaisir des sens la table fut comblée,
Il ne se trouva rien à l'égard d'un MELON
Que Thalie apporta pour son Maistre Apollon,
Que ne fut-il point dit en celebrant sa gloire,
Et que ne diroit-on encor à sa memoire,
Le temps qui frippe tout, ce gourmand immortel
Iure n'avoir rien veu ni rien mangé de tel,
Et ce grand repreneur qui d'une aigre censure
Vouloit que par un trou l'on nous vit la fressure,
Momus le medisant fut contraint d'avouër
Que sans nulle hyperbole on le pouvoir loüer.

Qui vigil ornatu gracili convivia curat
Qui ſemper ſua vota animo ſuſcepta virili
Perficit , exoptat menſæ diſponere cuncta.
Rem tamen ut citius perfecto carmine claudam ,
Ad quam me facili deducant numina cantu.
Diſcetis ſocii , multa inter fercula menſæ
Diſpoſita & ſolitos nimium ſuperantia guſtus ;
Totque inter fructus divis adſtantibus ultro
Delatos queis menſa fuit decorata ſuperbis ,
Nil Peponem potuit guſtu ſuperare tenellum ,
Quem Domino tulerat Phœbo famulata Taleja.
Quæ non verba fluunt Peponi plauſura recepto
Et quid non laudi multùm dicetur in ævuum ?
Tempus edax rerum , immortalis & helluo , jurat
Se nuſquam vidiſſe ſtupens nil tale , nec unquam
Manducaſſe prius , cenſor qui voce feroci
Mordaci & lingua ſapientum facta virorum
Arguit , invito Momus ſermone fatetur
Laudibus innumeris plaudenti & carmine dignum.
Cum primum jacuit menſæ , tunc nobile murmur
Lætitiæque ſonus divinas verberat aures.
Cor hilari trepidat motu , naſique guloſi
Tam ſuavi , blandoque nimis rapiuntur odore.
At guſtus quidquam ſublimius excitat ingens ,
Quod mea Muſa timens non audet dicere verbis ;
In tantis epulis , ſed tantum læta fatetur
Fæmineos cœtus privatos voce fuiſſe.

Dés qu'il fut sur la nappe un aigu cri de joye
Donna son corps de vent aux oreilles en proye,
Le cœur en tressaillit & les plus frians nez
D'une si douce odeur furent tous étonnez:
Mais quand ce vint au goust, ce fut bien autre chose
Aussi d'en discourir la Muse méme n'ose,
Elle dit seulement qu'en ce divin banquet
Il fit cesser pour l'heure aux femmes le caquet.
Phœbus qui le tenoit sentant sa fantaisie
D'un desir curieux en cet instant saisie,
En coupe la moitié la creuse proprement,
Bref, pour finir le conte en fait un instrument,
Dont la forme détruit & renverse la fable
De ce qu'on a chanté que jadis sur le sable,
Mercure trouvant mort un certain limaçon,
Qui vit par fois en beste & par fois en poisson,
Soudain en ramassa la cocque harmonieuse
Avec quoy d'une main aux arts ingenieuse
Aussi bien qu'aux larcins, tout à l'heure qu'il l'eut
Au bord d'une riviere en fit le premier lut.
Ainsi de cette écorce en beauté sans pareille
Fut fabriqué là haut ce charmeur de l'oreille,
D'où sortit lors un son par accens mesuré
Plus doux que le manger qu'on en avoit tiré.
Là maintes cordes d'arc en grosseur differentes,
Sous les doigts d'Apollon chanterent des courantes;
Là mille traits hardis entremélez d'éclats
Firent caprioler les pintes & les plats.
Le plus grave des Dieux en dansa de la teste;
Et le plus beau de tous pour accomplir la feste

Quem Phœbus gestans manibus dum tota
movetur
Mens curis animusque diu stans anxius hæret,
Dimidiam gladii disjunxit cuspide partem,
Quam cavat inferius ferro subeunte decenter.
Vt tandem citius claudatur fabula versu,
Instrumenta parat, quorum structura repellit
Fabellam fuerat quâ quondam carmine dictum,
Mercurium bibulo gradientem littore vasti
Invenisse maris, limacem morte jacentem
Qui modo piscis erat, tumidæ modo bestia
terræ,
Non tardante morâ, testam sumpsisse canoram,
Quâ multa tunc arte, manu furtisque perita
Efformasse chelym viridi sub flumine primam.
Cortice quo tanto mage nil mirabile visu,
Efformata chelys superûm blanditur in astris
Auribus, unde hilaris repetitis ordine verbis
Fit sonus extracto dulcique suavior esu
Diversæque fides agitat quas pollice Phœbus
Tota repercussis moverunt cantibus astra.
Elatis hic mille modis, mox moxque coactis
Tripudiant motæ lances, saliuntque lagenæ
Divorum gravior movit cervice choreas
Pulchrior & divum festo convivia plausu
Vt peragat tantis vocem concentibus addens
Titanas rursus vibrato carmine vicit.
En quidquid, socii, Clio promiserat ante
En quod blandisono permessi fonte rigatum
Helluo Terpsicorus nimiis quem diligo votis

Joignant à ses accords son admirable voix
Desconfit les Tytans une seconde fois.
Voila chers Auditeurs l'effet de ma promesse,
Voila ce qu'au jardin arrousé du Permesse
Terpsicore au bon bec pour qui j'ay de l'amour
En voyant des Melons me prona l'autre jour,
J'ay trouvé qu'à propos je pouvois vous l'apprendre
Pour décharger ma rate & pour vous faire entendre,
Que je crois que ce fruit qui possede nos yeux
Provient de celuy-là que brifferent les Dieux,
Car le Roy d'Helicon le Demon de ma veine,
Dans le coin d'un mouchoir en garda de la greine
Afin que tous les ans il en peût replanter,
Et d'un soin liberal nous en faire gouter.

. . . .

. . . .




A MONSEIGNEUR
SUR LA PRISE DE PHILISBOURG.
PAR MONSIEUR L'ABBE' GARNIER.
1689.

PRINCE que vous commancez bien;
Qui pourra soûtenir une valeur si fiere,
Vos premiers coups d'essay sont de l'Europe entiere
L'étonnement & l'entretien.

Laudavit Nuper Pepones cum vidit amœnos
Sum me posse ratus, vos omnes ista docere
Vt cor exonerem vobis & noscere detur
Credere me, fructum qui nostris gratus ocellis
Cernitur ex illo quem numina sacra sub astris
Dente comederunt gustus sumpsisse suaves
At magni Princeps Heliconis, carminis author
Sub strophii angululo servavit grana, quot annis
Vt serat ad nostros & semper deferat esus.

. . . .

. . . .



IDEM

LATINE REDDITVM.

QVANTA triumphantis tua sunt primordia belli,
MAGNE HEROS, rapidæ virtuti opponere vires
Quis vano poterit nimium temerarius ausu?
Militiæ magnis præludens tyro triumphis
Fis stupor Europæ, specimen mirabile gentis,
Et tua, sunt populi sermo, regalia facta.

Nos ennemis croioient avant cette victoire,
Qu'ils pourroient quelque jour obscurcir vôtre gloire;
Mais de ce vain espoir leur orgueil reprimé,
Rien ne sçauroit flatter leur honte & leur misere;
Nôtre bonheur est confirmé,
Le Fils combat comme le Pere.

Nous venons de le voir ce jeune Conquerant,
Couvert de poudre & de fumée
Visiter les travaux animer une Armée,
Et courre où le peril sembloit étre plus grand,
Son courage enhardit, encourage, rassure,
Le plus foible à ses yeux mandie une blessure,
A voir comme la gloire échaufoit tous les cœurs,
On eût dit que chacun vengeoit sa propre offense,
Ils ne craignoient dans leur fureur
Qu'une trop foible resistance.

Tant qu'on vit l'ennemy ferme, fier, obstiné,
La joye en tout le Camp se voioit répanduë,
Mais tout le Camp fut consterné
Lorsque la place fut renduë,
Nôtre jeune Heros part & voudroit voler
Pour rencontrer encor de quoy se signaler,
Il luy tarde deja qu'aux deux bouts de la terre
On ne parle de ses hauts faits;
Mais Prince plus je vois que vous aimez la guerre,
Plus je fais de vœux pour la paix.

Te nondum victore putant jactantius hostes
Posse aliquando tuum tenebris offundere nomen,
Te victore, dolent frustrâ sperasse tumentes.
Depressis animis, misero spes nulla pudori
Blanditur, secura manet faustissima nobis
Invictis fortuna viris. Non filius impar
Patris ad exemplum certans æqualibus armis
Vincit & edisceit simili superare triumpho.

Vidimus Heroem fumoso pulvere sparsum
Vallatas inter fossas, animare paratas
Ad pugnas acies; certis cursare periclis
Intrepidum, virtute sua firmare timentes.
Segnior ante ipsum sperato vulnere gaudet;
Gloria sic animos sic corda accendit ad arma
Vt sibi non aliis injuria facta putetur,
Miles Marte timet generosum agitante furorem
Ignavos perimat ne forte inglorius hostes.

Hostis macte animo pugnans & robore firmus
Grandia Gallorum fit totis gaudia castris
Vrbe gemunt capta, galli præclara queruntur
Defore belligero nunc argumenta labori.
Heros magnanimus dextra sibi quærere lauros
Impatiens victrice novas feliciter ambit.
Borbonicis orbem devictum assuescere palmis.
PRINCEPS MAGNE tamen dum tantis prælia votis
Appetis, optatæ cupio tibi fœdera pacis.



EPIGRAMMA

DUX TURENUS TORMENTO BELLICO OCCISUS.

Dux non Marte minor cujus, Mars invidet armis
Irato potuit non nisi Marte mori.

LUDOVICI MAGNI
Effigies
In fronte Xenodochii generalis montis Pessulani apposita cum hac inscriptione.

Hostibus est terror, pax victis, gloria gallis,
Auxilium miseris, omnibus una salus.

CRUX IN TRIVIO
Triplicem viam demonstrans

Dum Triplex demonstrat, iter crux inclita terris,
Ad cœlos unum crux tibi monstrat iter.

CRUX IN PONTE POSITA

Ante crucem tumidas deponat rivulus undas,
Tutricem pontis sentiat esse crucem.

Ante portam Cœnaculi

Ingressus sileas, tacita sed mente loquaris
Quisquis es, ore loquens sis homo, mente Deus.

Nobilissimo Doctissimoque viro D. D.

LAZARO CORDERIO

I. V. D. 1665.

IN alto mari nuper fracto navigio, dum quisque vitæ suæ consulit, filius juvenis patrem senem humeris impositum à naufragio longo natatu conatur eximere; sed cum ambo periclitarentur, maluit pater opprimi fluctibus, vitam filii, suæ dispendio servaturus. Triste sanè & novum spectaculum, vir Nobilissime, præteritis ignotum seculis, nostro inauditum, futuris vix credibile. Amor amore vincitur, & ne in filio moriatur superstite, vivit in patre moriente, & uterque in te vivet felicius: filium evitato naufragio ad te confugientem amico excipe sinu; & adhuc madidum, tui amoris exsicca ignibus: patrem submersum, Rhythmicis a *luge lachrymis, & doctioribus persolutis exequiis, tuum scrinium fiat ejus sepulchrum.*

a Olim Rhythmis ludebat.

EPITAPHIVM.

Respice stans madidos cineres & disce viator,
Quid nati possit quid genitoris amor.
Certat amor, dum vincit amor superatur amore
Portentum est monstrum est; mors fit amoris amor.

AMOR NAVFRAGVS SIVE MORTE patris vivens filius.

ELEGIA.

DVm raptis infelix ruptis effracta carinis
Mergitur æquoreis naufraga facta vadis

Milite permixto speratæ nauta salutis
  Inter aquas tutum quærit inanis iter.
Hic hæret trunco ; natat alter in æquore vasto,
  Ille manu oppositas, hic pede findit aquas.
Ecce pater senio, multis confectus & annis
  Extremum pelago credit obire diem.
Filius accurrens patrem complectitur ulnis
  Infortunatis commoriturus aquis :
Imponens humeris patrem natat impete magno
  Vt certam fugiat tutus uterque necem.
Alter ut Æneas qui servat ab igne parentem,
  A pelagi servat sonte furore patrem :
Vt vitam acceptam referat, patrique redonet
  Fluctibus, in terris quam pater ante dedit ;
Et fiat ne causa necis, sene patre relicto,
  Ad paria impellit funera patris amor.
Sublevat impositum natus cervice parentem,
  Tanto sollicitus pondere frangit aquas.
Patre cupit moriente mori, vel vivere vivo,
  Mortuus & vivens est pater unus amor.
Patrem nectit amor nato, natumque parenti,
  Vivit amor gelidas igneus inter aquas.
A nato disjungit amor sine crimine patrem,
  Dat vitam nato funus anile patris.
Sola pater fieri vult victima, solus amoris :
  Irati solus, victima sola maris.
Det vitam ut moriens, vivens cui tradidit ante
  Det vitam nato quæ necat unda patrem.
Vivit morte patris natus pereuntis in unda
  Mors patris, est nati vita cupita sui.

Ne moriatur amor, moritur pater unus amore
Vivit amore puer, ne moriatur amor.
En pater exultat moriens ſuperantibus undis,
morte ſui, nati longius ire dies:
En dolet ut vivat fugiens maris æquora natus,
Authorem patris funeris eſſe ſui.
Excrucians triſtem natum premit unda doloris
Æquoris abſorbens dum premit unda patrem.
Emoritur vivens, morientem ante ora parentem
Filius indomitas dum videt inter aquas.
Et pater emoriens vivit dum vivere natum
Poſſe putat, natus, vita ſuperſtes erit.
Fit patris pelagus morientis triſte ſepulchrum.
Viventis pueri fit pater urna ſui.
Signum ſinceri pater eſt & natus amoris
Quem poterit veniens nulla tacere dies.



Nobiliſſimo Clariſſimoque viro D. D.

BALTHASARI DE VIAS

Doctiſſimo & Chariſſimo muſarum
Alumno ægrotanti

XENION.

FRigida quid calido torpent tua membra cubili
Docte ſenex? lecto ſurge *VIASSE* tuo.

Non ignota iterum Musarum ad templa vocaris,
Virgineo pindi te vocat ore chorus.
Surge, coronatis redimet tua tempora sertis
Et fiet dives flore corona novo.
Perpetuo felix te gaudet Apolline Musa,
Infaustæ telum ne vereare necis.
Parca timet tanti rescindere fila Poëtæ
Vitæ fila tuæ nevit amica manus.
Evoluit lachesis pretioso licia fuso
Et novit blandâ texere pulla manu.
Atropos & lachrymis effusis nescia flecti
Ediscet votis flectere corda tuis:
Et Clotho importuna viris ad fata negantem
Numquam, crede mihi, te taciturna trahet.
Et numquam imponet finem Libitina diebus
Tu nisi docte senex Clare *VIASSE* roges.
Non defecturo durabunt stamine, vitæ
Tempora; si cupias longius ire dies.
Indomitæ precibus parcæ tua Musa litavit
Arbiter & vitæ, vel necis unus eris.
Quæ juvenes, quæ parca senes injussa sepulchro
Condit, te numquam, tu nisi forte velis.
Imperio parere tuo juravit amica
Hæc oculos veniet claudere jussa tuos.
Non morbus tumulo tua claudet anilia membra
Solus mortis eris causa *VIASSE* tuæ.
Vive diu, tibi vive, & amicis vive precamur,
Pendeat arbitrio cum tua vita tuo.
Lætantes vivente volunt, te vivere salvo
Afflictique volunt te moriente mori.

Ne tot ſint mortes unâ ſub morte *VIASSI*
Neſtoreos ſuperet fac tua vita dies.

CHRONODISTICHA.

at preCor Interea VenIens feLICIor annVs
fIat DoCte ſeneXpLenVs honore tVo
ſpargat terra roſas & ſpargat LILIa, CrInes
ornatVra potens VIVe VIaſſe DIV.

DDCCCCLLLLXVVVVVVVVVVIIIIIIIII.

1666.

EIDEM.

XENION.

Docta Caballini gradiens per littora fontis
Quæ cingunt variis lilia mixta roſis;
Non procul inſpexi Phœbum, plaudente ſororum
Agmine, formoſus quêis comes hæret amor.
Fronte ſerenatâ recubat ſub mollibus herbis
Suſpenſam pulſat dextera fida chelyn.
Carmina Phoceo pſallebat condita vate
Pſallebat vatis carmina digna Deo.
Non ibi daphnæos ludens cantabat amores
Priſtina Leucotheæ nec Lyra fata dolet.
Phoceos melior mens inſpiravit amores,
Et nova lætitiæ cauſa *VIASSVS* erat.
Ore *VIASSVS* ineſt, reſonat Lyra pulſa *VIASSVM*,
Et Phœbi vox hæc una *VIASSUS* erat.

Pierides repetunt repetita voce *VIASSUM*,
Gloria Parnassi sola *VIASSUS* erat.
Et Phœbum & Musas furor entheus occupat, uno
Vatis Phocaici carmine templa sonant.
Victrices Erato veneratur Regia palmas.
Henrici *a* : vatis quas Lyra graja canit.
Augustos facilesque legit mirata triumphos
Et stupet ingenti bella peracta manu.
Henricus Rex quantus ; ait, descripta Poëtæ
Facta vigent calamo nobiliora mei.
Nobilius vivit, mansuro carmine vivit
Omne quod armato milite gessit opus.
Nil mortale sonat major fit fama, *VIASSO*
Majus & Henrici vate canente decus.
Non est Phocaico vates felicior alter,
Infusum toto carmine numen habet.
Proxima laurigeris Clio redimita coronis
b Principe Ludoico carmina digna legit,
Auribus illa bibit, gracilique fluentia lapsu,
Pectoribus servat non abitura suis.
Lecta placent iterum, grato deducta tenore
Carmina vult animo semper adesse suo.
Regales adamat sylvas, umbrasque loquaces
Incolit & Musæ, mollior aura placet.
Hîc doctas novit dextra decerpere frondes
Phocidis in sylvis & novus ardet amor.
Ornatura sui caput ingeniosa *VIASSI*
Immiscet lectis lilia lecta rosis.

a *Ad Henricum IV.* 1604. b *Sylvæ Regiæ ad Ludovicum XIII.* 1623.

Peiresii

c Peiresii tumulum miratur flendo Thaleja,
Miratur cineres quos tegit urna pios.
Tantus, ait lachrymans, potuit succumbere fatis?
Tantus; heu superi vir potuitne mori?
Nestoreis hic unus homo dignissimus annis
Et superare dies hic potuitne mori?
Magnum fata necant hominem crudelibus ausis;
Vobis nonne licet dì prohibere nefas?
Audite, invito fatorum numine vivet;
Phocæo melior, carmine vita datur.
Non plantis Medea tuis renovare juventam
Peiresii cupimus, nec revocare dies.
Est Graj solius opus, doctique *VIASSI*,
Amissos novit qui reparare dies.
Plorati cineres Pimpleo flamine vivent
Parnassi tumulo splendidiore jacent.
Vivet Peiresius, vivet sed vita, *VIASSI*
Hæc unius erit flebile vatis opus.
Vivit dum moritur, celebrant quem carmina vatis
Vivit quem laudas Clare *VIASSE* Lyra.
Hæc tua, Peiresi, veniens mirabitur ætas
Tam bene Phocaicâ, sculpta sepulchra manu.
Calliope puros d Charitum meditatur amores,
Pasitheæ placidi suspicit oris opes.
Laudat & Euphrosinen: charo laudata *VIASSO*,
Miranti Musæ mitis Aglaja placet.
Optat nulla ferant anni dispendia formæ
Optat sit juvenis semper in ore decor.

c *Epicedion. D. de Peirez.* 1642, d *Tres libri Charitum* 1660.

Et nunquam nivei possint marcessere flores
  Optat sed semper sit rosa rubra genis.
Et legit & relegit, mentem satiare legendo
  Sæpe legens vatis carmina, Musa nequit.
e Multa legunt aliæ mites heliconis alumnæ
  Carmina quæ vatis scrinia clausa tegunt.
Et quæ Melpomene ridens furata *VIASSO*;
  Detulerat læto læta legenda choro.
Scilicet ignotos habeat quos India mores
  Magnum opus Americi claustra reclusa freti.
Quidquid inauditum Gueicheæ ad littus agatur,
  Quò secura nequit longius ire ratis.
Millia scripta legit sparsim diffusa per orbem,
  Quæ benè collegit provida, sparsa, manus.
Tantorum vigiles operum mirata labores
  Non sinet adversâ nocte, situque premi.
Carminibus lectis jucundum heliconia murmur
  Tecta ferit, plaudens quod movet unus amor.
Castalides plaudunt manibus, ductisque choreis,
  Vati Grajugeno carmina sacra canunt.
Audivique hilaris, sit vates alter Apollo;
  Phœbus amat vatem par sit utrique decus.
Nos regat Imperio, laus est parere *VIASSO*.
  Musa sit auditis obsequiosa Lyris.
Musa coronato cingat diademate frontem,
  Musa Caballinis altera potet aquis.
Aonias lassus si ponat Phœbus habenas,
  Principe pro Phœbo nonne *VIASSUS* erit?


e *Pleraque alia scripsit quæ nondum typis sunt mandata.*

Vatis & invigilet senis officiosa saluti,
Ægros Musa oculos non sinat esse viri.
Hinc procul, hinc abeat medicis, ophtalmia Musis
Et nunquam vitreo lumine scripta legat.
Phœbus vota probat, votis dictisque *VIASSUM*
Arridens, meritis gaudet habere parem.
Hunc dignum lauris, dignum potare liquores
Pegaseos, dignum vivere, Phœbus ait
Vivat & enumeret redeuntes sæpius annos,
Et claudant meritos numina nulla dies.
Vivat, parca meo fiat captiva *VIASSO*,
Et vates semper quæ cupit, illa velit.
Vivat & æterno perdurent licia fuso,
Et videat semper subdita fata sibi.
Vivat, Musæ aiunt, nostris dignissimus aris
Vivat fatidico plenus honore senex.
Vivat pierio dignus sed vivat amore
Vivat vivat adhuc, carmina vivat amans.
Vivat, & inceptus fiat felicior annus,
Vivat, & exornet laurus amica caput.
Vivat, & æternos reddat Parnassus honores,
Vivat & infracto tramite vita fluat.
Vivat, & hæc videat Xeniorum munera sæpe.
Vivat & hæc reddam munera sæpe seni.

CRONOMETRON.

annVs, alt DoCto LætVs sIt, MVsa, poetæ.

MDCLVVVII. 1667.



Clarissimo Nobilissimoque viro D. D.

MATHVRINO BOVX

Domino du Teil & de la Varenne
Consiliario Regio.

Et in Camera Nannetensi publicarum rationum Magistro.

Pro secundo Majorali Consulatu
1650.

ODE.

MAIOR secures territa credidit
Vrbs dedicatas Maxime nomini,
Te derelicturum peracto
Muneris officio supremi.
Vltro merenti offert iterum tibi
Majoris ingens munus, amabilis
Et fidit augustis regendam
Ancipitem manibus salutem.
Experta mentis facta potentia,
Gens tota gaudet, te Patriæ Patrem
Vrbisque tutorem fatetur
Dum sonitu placido salutat
Dissentienti sollicitudine
Et fracta multo murmure Gallia
Nuper gemebat, luctuoso
Pressa metu gravibusque fatis.

Hinc inde terror Martius ingruens
Hinc inde pallor pectora gentium
Quassans, furoris sorte mixtus
Attonitas agitabat urbes.
Feliciori tu moderamine
Tantos premebas nobilis impetus;
Et quisque pacato tumultu
Imperium docilis colebat.
Intemperato pectora gaudio
Quid commoventur læta superbius?
Augustiori quid Thalia
Plectra movet generosa dextrâ?
Quid insolenti mens stupet inscia
Commota plausu? quid tamen æstuat
Et blandiores quid tumendo
Incutiens strepitus, movetur?
Plaudamus io *BOVXEVS* imperat
Tranquilla fient omine tempora,
Non fallor augur sanctiori
Consului sacra templa Pindo.
MAIOR fugabis ferrea sæcula,
Nostrisque reddes aurea gentibus,
Optata plebi, *FAVSTE MAIOR*,
Sæcla tuæ renovans priora.
Desiderato munere numinum
Dum te regentem patria possidet,
Non imminentes sævienti
Pertimet exitio ruinas.
Felicitatum jam super æquora
Navis feretur numine *BOVXEO*

Diverberatum nec procellis
Imperium † videbit. † populus

Tu non avorum Maxime degener
Mentis ſecundo flamine perficis
Concepta magnæ vota ſemper
Cuncta domans animo ſagaci.

Si Muſa vellet carmine proſpero
Avita gentis facta perenniùs
Narrare Clio ſæcla votis
Deficerent potius ſuperbis.

Quidquid vetuſtas laudibus extulit
Mirata patrum facta potentium,
In te ſtupeſcens nunc in uno
Noſtra dies ſimul intuetur.

Laus ſumma claris parta laboribus
Circumſtrepentes proteret invidos
Diſperdet omnes contumaces,
Et proprias aget in ruinas.

Virtus ſub æquo judice libera
Poſcens honoris nomina ſplendidi
Præclare *MAIOR*, tota cedet
Iure tibi monumenta laudum.

Nunc verus æquis legibus arbiter
Da jura cunctis integra civibus
Ceſſit ſecundis mite votis
Numen adhuc populi ſecures.

AVGVSTE MAIOR gentibus impera,
Quas nuper ingens junxit amor tibi
Aſtræa regnet temperatas
Dia tuas melius per urbes.

AVGVSTE MAIOR ſæcula corruant
Tumultuoſo fulmine, decidat
Depreſſa tellus igne vaſto
Nomen erit merito ſuperſtes.
AVGVSTE MAIOR cantibus aſſonet
Cœleſtis alto Pythius ætheri
Sacrum & triumphali corona
Melpomene caput arte cingat
O quanta plauſu digna potentia
Virtuſque ſacro digna ſilentio
I clare major, conticentes
Corde decus recolemus omne.



Corrigenda Ante Lectionem.

PAgina 10. verſu 28. cedare lege ſedare. p. 13. v. 16. tringens l. ſtringens. p. 15. v. 23. deſcendit l. deſcendat. p. 29. lin. 18. tæntùm l. tantum. p. 42. v. 17. durum l. ducum. p. 43. v. 19. muicere l. mulcere. p. 46. v. 2. ſuccedant l. ſuccedant. p. 95. v. 27. ſympha l. lympha. p. 104. v. 6. Ca l. La. p. 105. v 24. heluelii l. Heluetii.

Permission des Gens du Roy.

SOit montré au Procureur du Roy. Fait à Marseille le 22. Iuin 1690.

DE LAGARDE Lieutenant.

VEu le petit Recueil des pieces en Vers Latins, *Composées par le Reverend Pere Lion Prêtre de l'Oratoire* : Ie n'empéche pour le Roy qu'il soit permis à Iean Penot de les Imprimer en cette Ville. Deliberé à Marseille ce 22. Iuin. 1690.

RIGORD Avocat & Procureur du Roy.

SOit fait suivant les conclusions du Procureur du Roy , l'an & jour cy-dessus.

DE LAGARDE Lieutenant.